


EPISTULA LEONINA

CCLXXXVII

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <https://ephemerisnuntii.eu/leonina.php/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM OCTOGESIMAM SEPTIMAM (287)

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA	03-04
d. 02. m.Mart. a.2024, h.5 p.m. ACROASIS LATINA: ZOOM – ALF nicodemico4@gmail.com	05
QUI TACET CONSENTIRE VIDETUR	06
CARMEN MAURI PISINI POETAE LAUREATI: Quaedam poetae officia	07
RELATIUNCULA MAXIMILIANI MYSTAGOGI	08
NARRATIUNCULAE PUERI MALEMORATI (XIV)	09-17
IN OCCIDENTE NIHIL NOVI	18-30
CHRONOGRAMMATA (<i>Rößler</i>)	31-65
NUM BIBLIA EXORTA EST IN ARABIA?	66-83
DE ISRAELIA DEQUE PALAESTINA QUID SENTIAT...	
RALF VERLEGER	84-86
ILAN PAPPÉ	87-90
NORMAN FINKELSTEIN	91-94
RECLAMATIO GAZETICA...	
LONDINENSIS	95-98
NEO-EBORACENSIS (2)	99-104
BRUXELLENSIS (3)	105-112
DE BELLO GAZENSI QUID SENTIAT...	
OSKAR LAFONTAINE	113-115
RASHID KHALIDI	116-125
JOHN J. MEARSHEIMER (2)	126-139
CHRIS HEDGES (2)	140-148
THOMAS RÖPER (2)	149-159
DE AMALECITIS	160-162
DE BENIAMINO TERRIBILI (2)	163-165
DE OEDIPODE: Revelatio. Iocastam et Oedipodem se ipsos punire	166-172
ECHUS VOCES & EPISTULAE <i>Alexandra Gaditana (186-187) - Ansgarius Osloensis (174-176) - Carolus Lyvens Vilmensis (181-182) - Gustavus Tavares Bellihorizontensis (183-185) – Ion Eizmendi (182-183) - Ionathas Gnosis (185) - Logodaedalus (187-189) - Maximilianus Pulcher Mystagogus (173-174) - Naevius Sartorius (176-181) - Victorious Ciarrocchi Pisarenensis (183) – Volcerus Lubeccensis (185-186) -</i>	173-189
EPISTULA CHRISTIANI LAES	190-191
CERTAMEN QUIRINALE	192
MARCUS CRISTINI LECTORIBUS EPISTULAE LEONINAE S	193-194
CORRIGENDA ET SUPPLENDA	195
LIBRI LEONIS LATINI	196-199

PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS
SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

quomodo te habes? Rectène vales? En habes cenam Leoninam sat opiparam: quae complectitur paginarum duas ferè hecatombas. Denuo Leo tibi praebet Cornu Copiae et Saturam Lancem: Lectionem utinam ne asperneris: magna est varietas, quia delectat, habemus etiam aliquid aptum ad gustum tuum delicatissimum.


*Inest cibus iocosus et satiricus: **Narratiuncula quaedam Pueri male morati.** Insunt etiam graviora, etiam tristia et bellica. Bona enim cena non solum habet cibos dulces et molles: interdum insunt etiam amari et acres et duriusculi... Nam si quis sibi proposuit, ut Latinè scriberet de omnibus rebus antiquis et recentioribus deque mundo cui inest, ut scriberet quam verissimè et Latinissimè, eidem non licet pulchras tantum res verbis Latinis depingere – oportet nos Latinè scribentes a fuco abstinenceamus mendacissimo! Ergo exspecta hanc Leoninam perlecturus etiam nonnulla dura et tristia et foeda et iniusta, immo iniustissima quae fiunt his diebus in mundo nostro: Nam valet tritum illud proverbium: **QUI TACET CONSENTIRE VIDETUR.***

*Ceterum intimo ex animo tibi suadeo, ut perlegas etiam **EPISTULAS ET ECHÛS VOCES** mihi a lectoribus benignè oblatas, qui cogitationes commotionesque suas animorum exprimant Latinitate iucundissimâ...*

*Nunc laetare perlustrans symbolas huius Epistulae Leoninae. Si eos textûs quos Leo aut edidit aut ipse scripsit aut togâ ornavit haud aspernatus eris – »**sublimi feriam sidera vertice**«. – Si agitur de quaestionibus litigiosis – semper studeas non solum thesi, sed etiam **antithesi** inveniendae; denique, mi care, fortasse feliciter continget, ut nos, tu et ego, unâ inveniamus **synthesin**! Sed quaecumque senseris, ne umquam obliviscaris proverbium Romanum: **AUDIATUR ET ALTERA PARS!** Cara Lectrix, care Lector, --- Medullitus te salutat...*

Dr. Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.de/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae

Die Martis, 27. m.Febr. a.MMXIV

P.S. Omni quâ par est observantiâ, cara Lectrix, care Lector, te invito ad acroasin meam audiendam, quam facturus sum die Saturni huius septimanae, i.e. d.02. m.Mart. horâ quintâ p.m. Loquar de novis verbis Latinis fingendis: “NOVIS REBUS NOVA NOMINA”. De signo, quo intres oecum electronicum, roga, quaeso NICO DE MICO, Secretarium Academiae Latinitati Fovendae: nicedemico4@gmail.com

d. 02. m.Mart. a.2024, h.5 p.m.
ACROASIS LATINA: ZOOM – ALF
nicodemico4@gmail.com

Nico De Mico ti sta invitando a una riunione pianificata in Zoom.

Argomento: Nicolaus Gross, Novis rebus nova nomina

Ora: 2 mar 2024 05:00 PM Amsterdam, Berlino, Roma, Stoccolma, Vienna

Entra Zoom Riunione

<https://uniroma1.zoom.us/j/88060545902?pwd=UG41Qmc2QzdRVHpTM29XMi9ieDB2UT09>

ID riunione: 880 6054 5902

Codice d'accesso: 789207

Un tocco su dispositivo mobile

+13017158592,,88060545902# Stati Uniti (Washington DC)

+13052241968,,88060545902# Stati Uniti

Componi in base alla tua posizione

- **+1 301 715 8592 Stati Uniti (Washington DC)**
- **+1 305 224 1968 Stati Uniti**
- **+1 309 205 3325 Stati Uniti**
- **+1 312 626 6799 Stati Uniti (Chicago)**
- **+1 346 248 7799 Stati Uniti (Houston)**
- **+1 360 209 5623 Stati Uniti**
- **+1 386 347 5053 Stati Uniti**
- **+1 507 473 4847 Stati Uniti**
- **+1 564 217 2000 Stati Uniti**
- **+1 646 931 3860 Stati Uniti**
- **+1 669 444 9171 Stati Uniti**
- **+1 669 900 6833 Stati Uniti (San Jose)**
- **+1 689 278 1000 Stati Uniti**
- **+1 719 359 4580 Stati Uniti**
- **+1 929 436 2866 Stati Uniti (New York)**
- **+1 253 205 0468 Stati Uniti**
- **+1 253 215 8782 Stati Uniti (Tacoma)**

ID riunione: 880 6054 5902

Trova il tuo numero locale: <https://uniroma1.zoom.us/j/kmN93o3cl>

QUI TACET CONSENTIRE VIDETUR



*Non credo fore, ut aliquid verborum, quae dicturus sim de rebus Gazensibus, valeat ad rationem politicam, quâ in hęc conflictu utantur Israelia aut America. At tamen volo hęc loco litteris mandare, quid censeam, ut historici, si quando istam calamitatem moralem recensebunt, videant nonnullos saltem Americanos stesisse a causâ iustâ. ... Cum observo istam calamitatem Palaestinatorum in dies aggravari, non possum quin quaeram simpliciter ex ducibus Israeliae eorumque defensoribus Americanis et ex gubernatione Bidenianâ: **Num deest vobis omnis probitas?** ...in casu genocidii Israeliani plerique homines iurum humanorum periti ... liberales pauca tantum dixerunt de facinoribus Gazensibus crudelibus aut de sermone ducum Israeliae genocidiali. **Spero eos aliquando explicaturos esse taciturnitatem suam, quâ sollicitor. ... Historia iisdem non favebit, quia vix ullum verbum dixerunt, cum natio sua particeps esset sceleris terribilis, quod commissum est coram omnibus.** JOHN J. MEARSHEIMER*

QUAEDAM POETAE OFFICIA

*Poeta est qui res non quaerit consulto, sed ipsis quaeritur;
dum vitam in hominum vita adinvenit.*

Nil tam difficile est quam res narrare patentes,
sic ut sunt, non autem verbis arte paratis
et nimium excultis.

*Si poeta fieri exoptas,
oportet ut quandam inferorum semitam in hac vita agnoscas
quam tibi propriam sentias
atque, ibidem, coacto anhelitu
aliquantum discas immorari.*

Quaesitum

Estne poetarum stillare e sanguine versus?
Est equidem. Puto nil tam sacrum tamque sacrandum,
dummodo id, interdum, cupias tantummodo tecum
sentire atque pati ...

*Tu – inquam – esto tuae tantum solitudinis conscius.
Tu – tibi iterum dico –, qui nemo prorsus es, vigil esto semper atque precarius,
at, si volueris, poteris esse omnia
in omnibus,
dum verba quae tua sint
in ipso rerum fumo exquiras.*

Mortem habitat simul ac vitam: vult ira poetae
tendere utrique dolos.

*Poeta desinit esse qui sese in aliis videre aliosque in se
admittere desinit ...*

**Hos versus pepigit
MAURUS PISINI**

RELATIUNCULA MAXIMILIANI PULCHRI MYSTAGOGI AUGUSTANI

d.24. m.Febr.a.2024

*Maximilianus Augustanus Nicolao Sendensi, Leoni Latino
salutem plurimam dicit.*

Nunc tandem scribendi otium mihi est, ut de conventu latinizantium, qui nuper Monachii factus est, pauca ad te referam. De rebus levissimis et inanibus refero. Nam nihil praeter exspectationem accidit.

Sex viri fuimus (nulla femina), qui quinta hora post meridiem ad columnam Marianam, ut constitutum fuerat, ab diversis caeli partibus convenimus. Ego Augusta Vindelicum, ceteri Garchinga, Ickinga, Starenberga, Fürstenried, Scongava. Tu si adfuisses, certe ex cunctis longinquissimus fuisses. Sodales ex tua parte medullitus salutari. Christianus nos levissima ambulatione ad cauponam libariam duxit, in quam devertimus et pittas Neapolitanas, quae cunctae sapidae et sine carnibus erant, comedimus. Mirum fuit, quod inter nos lingua Latina colloquentes cum copa, quae ministeria faciebat, lingua Anglica loqui debuimus. Post cenam, cum nobis loquendi et confabulandi materia satis superque esset, ad aliam quandam cauponam transmigravimus, ubi potiones assumpsimus. Potiones nostrae tam fluide quam verba nostra Latina solute et facile fluxerunt. Vesper nobis iucundissimus fuit. Mihi nona hora vespertina proficiscendum fuit, ut tramen Augustanum assequerer. Quam diu ceteri sodales post discessum meum in caupona sederint, adhuc nescio. Sed constituimus, ut certis quidem temporibus, at non statis spatii rursus ad colloquendum conveniamus. Te in tempore, quando proximum colloquium Monachense futurum sit, certiore faciam. Consuetudinem nostram Monachium conveniendi non intermitteremus.

Haec pauca. Fortasse, si epistulam in Leone Latino publicas, novi advenae experiendi cupidi ad circulum nostrum advenient.

Opto, amice, ut haec septimana tibi feliciter beateque exeat.

Vale!

NARRATIUNCULAE

PUERI

MALE MÖRATI


(Lausbubengeschichten)

Quas scripsit

LUDOVICUS THOMA

in Latinum convertit

NICOLAUS GROSS



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

PARS QUARTA DECIMA: De puellâ Indianâ *(Die Indianerin)*

Pars I: De Gretulâ Vollbeck EL 144, 4-12; pars II: De primo amore meo EL 145, 7-14; Pars III: Magister Puellulus EL 155, 4-16; Pars IV: Feriis quae facta sint EL 164, 14-23; Pars V: Sponsalia EL 169, 13-19; Pars VI: Nuptiae 173,12-20; PARS VII: De Periurio EL 205, 15-22; PARS VIII: De avunculo Francisco EL 218, 7-10; PARS IX: De infantulo EL 220, 13-18; PARS X: Bona proposita EL 226, 07-15; PARS XI: De puero honesto EL 242, 22-31; PARS XII: Melioratio EL 252,18-26. PARS XIII: Amita Frida EL 280,88-100. - PARS XIV: De puellâ Indianâ EL 287 .



LUDWIG THOMA

(1867-1921)

Circa a.1909 pinxit Karl Klimsch.

Ludovicum iuvenem cum pertaedeat se iterum iterumque submittere licentiae magistrorum ceterorumque hominum, qui putantur esse auctoritates, audax consilium capit unum post alterum, quo quam bellissimê calcitret contra stimulum civium abderitanorum.

Ludovicus Thoma his in narratiunculis satiricis, quae specie tantum sunt pueriles, mirifico ingenio comico stupendâque subtilitate mores describendi systema scholae vilelmianum et clericalismum integumentis dissimulationis fallacissimae evolvit denudatque.

Eius »Narratiunculis pueri male môrati« lepidissimis animi lectorum usque hodie non desinunt mirabiliter delectari.

PARS QUARTA DECIMA (XIV)

De puellâ Indianâ



Subito *Cora* vênit ad nos, et ego de eâ sciveram prorsus nihil. Quae est filia avunculi *Iohannis*, qui vivit *Bombayae* in urbe, quia nihil didicerat et fugatus erat. Sed nunc habet multum pecuniae et plantationem theae, et in hamacâ¹ iacens huc illuc oscillatur, et servi debent ventilabro ventilare, ne musca advolet.

Cora statim mihi placuit. Quae est oculis nigris nigrisque capillis et ridet vehementer. Sed non ita ut *Rosa* filia amitae *Theresiae*, quae semper ôs obtegit manu, ne appareant dentes sui taeterrimi.

Cora cum veniret, manum meam comprehensam concussit, quasi esset puer, et matrem meam capite apprehenso dixit eam esse mulierem admirabilem, eamque osculata est.

Et *Annulae* dixit illam esse bellam puellam, et se ipsam, si esset vir iuvenis, futurum fuisse, ut vehementer peteret illam in matrimonium ducendam. Et mihi dixit me certê esse alumnus academicum studiosum et fore virum doctum, cuius naso esset perspicillum impositum. At tum *Cora* risit, quia mater mea gemuit. Equidem ei narravi me nequaquam esse studiosum, sed ita me gerere velle ut avunculum *Iohannem*, meque etiam velle ire in urbem *Bombayam* et tigrides sclopetare.

Tum illa dixit fortasse fieri posse, ut me illuc secum abduceret, sed mihi de hac re bene deliberandum esse, quia tigrides essent perquam periculosae. Tum ego dixi me elephanto insidentem sclopetaturum esse e sede supra sitâ, et tigris si fureret ferocissimê, posse devorare servos meos praetercurrentes.

Cora autem dixit hoc verum esse. Me esse catulastrum callidum, et oportere, ut abiturio superato in *Indiam* transirem.

Ego autem dixi me nolle tam diu exspectare, si quis *Indiam* peteret, ei non esse necessarium abiturium superare. In libris saepe lêgi puerum apoculare et in terrâ continenti peregrinâ ingentem accipere copiam pecuniae et Nativitate Domini domum reverti virum divitem. Me quoque hoc velle, ut deinde amita *Theresia* oculos

1 ***hamaca**, -ae f. theod. *Hängematte*. cfr Christian Helfer, *Lexicon Auxiliare*, 3. ed., Saarbrücken 1991, p.260 s.v. *Hängematte*: 1516, n. P. MARTYR.

raptim aperiret invidiosa et ut matri meae afferrem integrum vidulum pellium ferinarum plenum.

Cora autem risit et dixit hoc mihi differendum esse, quia multa deberem discere, ut mater nostra gauderet etiam sine pellibus ferinis.

Semper apud Coram eram, quodcumque vacabam. Saepe ibamus ad plateam oppidi, quia ibi musici canebant omnesque homines circum silanum stabant aut ambulabant. Domini semper nos advenientes adspectabant curiosê, et provisor pharmacopolii adspectabat curiosissimê. Cui nomen est *Oscarius Seitz*. Hoc scio, quia amita Theresia permulta narrat de eo, nam amita credit eum velle Rosam in matrimonium ducere. Qui est in *Pharmacopolio Angelorum*, et mihi displicet, quia tam superbê se gerit, quodcumque emo saccharum ursinum. Cum puellae sunt in taberna, *Seitzius* cum istis garriens me sinit exspectare diutissimê, itaque aliquando indignatus nummis pulsans mensam venaliciam dixi: „*In istâ tabernulâ emptores ministrantur spurcissimê!*“ Tum ille dixit me esse puerum male môratum et impudentem seque mihi aliquando alapam esse ducturum. Tum ego dixi me questurum esse apud eius praeceptorem meque dolere, quod saccharum meum ursinum alicubi empturus essem. Tum illi ingratus factus sum. Hoc Corae narraui, et postea illo conspecto ea semper ridebat. *Seitzius* autem semper salutans oculos suos horribiliter aperiebat. Qui sunt maximê emissicii et tantâ viriditate, quantâ sunt oculi cattaë. Semper se convertebat ad nos semperque sic ibat, ut iterum nos praeteriret. Aliquando Cora me reliquit amicâ Annulae conspectâ. Tum *Seitzius* me accessit mihique blanditus est. Quaesivit autem ex me, quomodo se haberet mater mea. Ego dixi nos bene valere. Tum ille quaesivit, num quis nos visitaret, et num illa Domina reverâ ex Indiâ esset oriunda. Tum dixi illam esse ex Indiâ oriundam. Tum ille dixit hoc esse mirum auditu, et num illa diutius apud nos mansura esset et qui essent eius parentes.

Dixi eius attam esse avunculum *Iohannem*, qui mitteret integras naves theae plenas in Europam. Deinde *Seitzius* mihi manum dedit et dixit se mihi, si tabernam reviderem, donaturum esse saccharum ursinum. Dixi me fortasse venturum esse. Die Dominicâ ante meridiem apud nos tintinnabulum tinnivit et ianuâ apertâ apparuit *Seitzius* synthesi vestium nigrâ flavisque chirothecis indutus. Îdem dixit se velle visitare matrem meam, quia eam non vidisset ex longo tempore. Eum duxi in conclave pulchrum, et mater mea gavisa est, quod ille tam urbanus esset, et conclave intravit et ego quoque intravi. *Seitzius* autem in stibadio consedit petasum tenens genibus impositum. Mater mea dixit pulchrum esse nobis ab illo honorem attribui, et quaesivit, ut ille valeret. Ille dixit se bene valere, sed sibi valdê laborandum esse, quia saepe homines nocte venirent ad medicamentum emendum, et mirum esse, quot morbi essent in oppido. Mater mea dixit hoc triste esse, sed se sperare aestate hanc rem meliorem fieri, quia homines illo tempore anni rarius contraherent perfrictionem. Ille dixit se hoc etiam sperare et deinde petasum suum manu tenens tam vehementer oscitavit, ut oculi sui umescerent. Tum dixit etiam aestate multos morbos esse eosque numquam finiri. *Seitzius* autem in conclavi huc illuc circumspectabat, quasi aliquem exspectaret, et mater mea quaesivit, num pharmacopola bene valeret. Illum bene valere, et nunc rus iter facturum esse. Mater autem dixit consentaneum esse, ut Dominus pharmacopola rus iret animo tranquillo, quia Dominus *Seitz* hîc maneret et negotia bene dispensaret. Se ex amitâ Theresiâ audivisse, quam probus esset

Dominus Provisor. Is autem iterum petasum manu tenens oscitavit. Deinde autem quaesivit, ut valeret Dominula Annula.

Mater mea affabiliter ridens dixit se Deo gratias agere, quod filia sua bene se haberet eamque esse puellam sanissimam. Tum *Seitzius* dixit se iam nunc gaudere de hieme, quâ sibi liceret saltare cum illâ, et num illa fortasse iterum particeps fieret ballationis harmoniae. Mater mea dixit, si illo tempore adhuc viveret, se unâ cum Annulâ particeps fieret illius ballationis, et se dolere, quod Annula non esset domi; eam enim cum consobrinâ abiisse. Tum *Seitzius* quaesivit, quacum consobrinâ illa abiisset? Illam cum Dominulâ *Pfeiffer* abiisse mater mea dixit. Tum *Seitzius*: „Ah, ita“ inquit, „nonne est illa Domina peregrina?“ - Mater mea: „Ita, est illa puella Indiana.“ - *Seitzius* dixit se audisse de illâ, et dignum esse memoratu, nos visitari ab homine, qui venisset ex regione remotissimâ, seque, ut esset pharmacopola, valdê cupere Indiam pernoscere, quia pleraque medicamenta ex eâdem afferrentur. Mater mea dixit valdê dolendum esse, quod Cora non adesset, nam ea certo sciret Domino Provisori omnia narrare, quia ea esset puella eruditissima. *Seitzius* autem surrexit et dixit sibi nunc abeundum esse, sed Deo gratias agere, quod vidisset matrem meam esse valetudine prosperrimâ, et fortasse a se etiam occasionem inventum iri Dominulam neptem cognoscendi, quia homines nunc vesperis calidis frequentarent hypogea cauponarum. Deinde abiit, et ante ianuam mihi dixit se sperare me mox venturum esse ad saccharum ursinum mecum auferendum.

Corae domum venienti statim narraui *Seitzium* adfuisse, et ea risit. Sed Cora mihi non dixit, quare rideret. Puto eam risisse, quia *Seitzius* est oculis tam viridibus eosque emittit in tantum spatii.

Postmeridiano tempore amita Theresia advênit unâ cum filiâ suâ Rosâ, et Iosephulus cum materterâ Elisabethâ. Unâ consedimus in trichilâ cafeam bibentes. Mater mea erat valdê hilaris, quia tot homines congregati erant, et Cora statim hirneâ sumptâ cafeam pocillis infudit. Ea ex avunculo Iosephulo quaesivit, utrum vellet cafeam albam an fuscam. Tum ille dixit se amare fuscam, et Coram aspexit et risit. At matertera Elisabetha pocillo abstracto dixit ei cafeam non statim esse bibendam, quia cafea esset nimis fervida. Mater mea autem risit et quaesivit, num illa vellet avunculum Iosephulum etiam fieri pulchriorem, quia dicitur is pulchrior fieri, qui bibit cafeam frigidam. Tum matertera Elisabetha erubuit et dixit maritum sibi esse satis pulchrum, neque esse necessarium, ut ille pulcher sit aliis hominibus. Cora autem, cum materteram Elisabetham adhuc ignoraret, putavit eam iocari et digito minata quaesivit, num fortasse matertera Elisabetha aemularetur, si avunculus Iosephulus etiam pulchrior fieret. Tum matertera Elisabetha dixit in Germaniâ homines non aemulari, quia mulieres in Germaniâ se gererent decorê. Hôc audito mater correxit calauticam suam. Hoc ea semper facit, si indignatur. Sed Cora simulavit se nihil animadvertere et cafeam infudit pocillo amitae Theresiae, et deinde voluit Rosae infundere. At Rosa celeriter manu pocillum obtexit et dixit se postea poturam esse et ipsam esse cafeam infusuram. Aliquamdiu nihil dictum est; avunculus Iosephulus manu circumvertebat pyxidem tabaci sternutatorii, et Rosa opere denticulato ex perulâ sumpto subito uncinulavit¹ cum studio ferventissimo, et

1 *Nadel* – *needle* – *aiguille* – *aguja* – *guglia* i.q. instrumentum fabrile tenue et longitudinale ex materiâ durâ fabricatum (prius ex ossibus, hodie plerumque metallo), apice finali instructum. Acus appellantur etiam aliae res, quae sensu laxissimo formâ et usu sunt simili. - *Acus* **uncinulata* in parte finali instructa est uncinulis, quibus filum recipitur et per maculam trahitur. Cum verbum temporale uncinandi iam exstet (spectat ad pisces uncino capiendos), artem vestimenta acu uncinulata texendi ausim nomine novato appellare **uncinulare*, artem autem substantivo

amita Theresia acu pinxit², et matertera Elisabetha manibus supra ventrem complicatis huc illuc circumspexerat. Cora autem iuxta Annulam sedens eidem buccellatum in ôs ingessit, et deinde ambae hilariter riserunt. At matertera Elisabetha capite concusso avunculum Iosephulum aspexit, et deinde iterum caput concussit. Et amita Theresia acu acutextoriâ ex tibiali extractâ nasum titillavit et materteram Elisabetham aspexit, et deinde ambae simul caput concusserunt. Cora autem matris meae mento attacto: „*Mammula vetula*“ inquit, „*quidni bibis cafeam; quae est verê et genuinê Indica*“. Et matrem osculata est. Tum matertera Elisabetha etiam fortius caput concussit et amita Theresia dixit se mirari, quod mater mea non diligeret cafeam, quamvis alioquin tam vehementer et tantopere diligeret omnes res Indicas. Tum avunculus Iosephulus ausus est dicere cafeam esse excellentem, seque numquam bibisse tam bonam. Deinde matertera Elisabetha oculis ad maritum conversis dixit, si is maius salarium haberet, quam ut ipsa omnem teruncium respiceret, futurum fuisse, ut omni die haberent cafeam fabarum delicatissimam. Cora autem avunculo amicê arriso dixit eum, si attam suam Bombayae visitavisset, factum iri, ut biberet cafeam omnium optimam. Tum matertera Elisabetha iterum erubuit et dixit avunculum Iosephulum domi bene se habere neque ullo egere itinere. Amita autem Theresia capite terribiliter annuens acum acutextoriam inter dentes pupugit. Deinde autem perquam lentê dixit: „*Et inhabita terram et pasceris in divitiis eius!*“

Avunculus Iosephulus nihil dixit et tabaco sternutavit. At Cora haec leviter tulit et ex Rosâ quaesivit, quale opus faceret. Se uncinulare opertorium stibadii Rosa dixit neque suspexit. Tum Cora dixit nonne Rosa molestiâ temporis vexaretur tantum pannum uncinulans et nonne ea callidior esset, quae tale textile emeret pretio sat vili. At amita Theresia materteram Elisabetham aspectavit oculis dilatis et gemuit et deinde dixit puellas in Germaniâ debere facere opera utilia, neque omnes homines habere tantum pecuniae, ut omnia emerent. Tum Cora quoque paululum erubuit et quaesivit, num reverâ utile esset per dimidium annum laborem exanclare ad nihil accipiendum nisi opertorium stibadii.

Amita Theresia coepit limis oculis huc illuc spectare, et ego scivi eam nunc esse indignatissimam. Ea dixit procul dubio utilius esse puellas talia facere quam nihil. Fortasse apud Indianos hanc rem aliter fieri. Tum mater mea interlocuta est fieri posse, ut puella probissima esset, sed non uncinularet, et ut aliquae puella uncinularet, sed non esset proba. Tum Cora hilariter risit et dixit matrem meam esse mulierem excellentem, et se etiam allaturam esse opus manuale, ut amitae et materterae praeberet aspectum satis probum. Deinde surrexit et Annula cum eâ abiit. Cum abiissent, mater mea calauticam suam etiam firmiter affixit et dixit se non intellegere, quonam modo fieret, ut aliquis se tam indecenter gereret. Tum matertera Elisabetha interrogavit: »*Quis?*«. Mater mea: »*Vos ambae*«. Tum amita Theresia risit, quasi esset exhilaratissima, et matertera Elisabetha est vociferata: »*Ah, tu es bellissima!*« Et Rosa furtim cachinnavit, ut apparerent dentes eius sordidi. Matertera Elisabetha iterum est vociferata: »*Tu verê es bellissima!*« Et amita Theresia dixit:

verbali ***uncinulationem** (i.q. theod. *häkeln*, angl. *to crochet*, fr. *faire du crochet*, hisp. *hacer ganchillo*, ital. *fare al uncinetto*. Ut tria exempla fingam: Mater infanti iaculam ***uncinulavit**. - Filius dono accepit thoracem laneum ***uncinulatum**. Studentes in auditorio universitatis inter acroasin taedio audiendi affecti tibialia uncinulabant. Cara Lectrix, care Lector, quid tibi videtur de hoc verbo novato deque sententiolis exemplaribus? Placentne?

2 **acū pingere**, i.q. theod. *sticken*. Cave ne confundas cum actione acu *texendi*: **acū texere** est i.q. theod. *stricken*.

»Noli stomachari, Elisabetha, oportet credamus istam puellam Indianam esse veram margaritam.«

»Quid illa vobis fecit?« mater mea interrogavit. »Num vos verbis laesit?«

»Hoc ne faciat isti bene suadeam«, amita Theresia dixit terribiliter limis oculis huc illuc spectans et acum suam acutextoriam in glomus lanae pungens, quasi glomus esset hostis suus. Et matertera Elisabetha dixit: »Quonam modo ista puella se gerit?«

»Ea se gerit decentissimê«, mater mea dixit. Tum matertera Elisabetha ligulam cafeariam in mensam iaculata quaesivit, num fortasse esset moris urbani puellam oculos suos iactare circa senes, qui numquam fierent sapientes, et num fortasse decôrûm esset virum instigare contra cafeam quae ei domi praeberetur?

Et amita Theresia dixit se Rosae suae non permittere, ut nimium conversaretur cum istâ Dominulâ exoticâ.

Mater mea vultu fuit perquam obstupefacto. Quae non intellegit, cur omnes Corae tam vehementer irascantur. Ea gavisâ est, quod in Germaniam vênit, sed nunc cognati ei maledicunt. Matertera Elisabetha dixit, si quis non esset caecus, ipso aspectu iam videre istam puellam non esse educatam. Cora istam post tres demum septimanas visitavit et cum ibi esset, prorsus indecenter risit de cane quodam fricatore imbalsamato³, qui stabat in mediano, et postea non iam istam visitavit, sed quidam vir, qui numquam fit sapiens, nunc sentit catulum imbalsamatum esse taediosum, neque iam vult cafeam, sed matertera non vult permittere, ut maritus incidat in amorem puellae alienae.

Amita Theresa tam fortiter acubus textit, ut acûs crepitarent, et dixit Coram cum iuvenibus conversantem se gerere more infami. Fortasse tales mores esse solitos Bombayae, sed non hîc in oppidulo *Weilbach*, ubi mulieres adhuc se gerent decenter, ceterum istam non gerere thoracium⁴.

Rosa caput tantopere retraxit, quasi se puderet cognatae, neque ulla vidit in loco postico iuxta saepimentum *Seitzium* pharmacopolam versantem. Ille enim ibi stabat et iterum iterumque salutabat, sed ego studiosê simulabam me illum ignorare. Tum abiit, sed iterum iterumque se convertebat. Cum îdem abiisset, amita Theresia loqui non desinens dixit omnes oppidanos animadvertisse, quomodo nuper Cora arrisisset Domino Provisorio *Seitzio*. Eadem putat Provisorem omnino nescire, talis mos quid valeat. Tum dixi fortasse *Seitzium* eâ de causâ apud saepimentum stetisse, ut hic mos explicaretur. Hôc audito Rosa capite erecto quaesivit: „*Quis fuit ad saepimentum?*“ Tum ego: „*Seitzius ille*“ inquam, „*qui est oculis viridibus.*“ - „*Mentitur iste puer male moratus*“, amita Theresia vocavit. „*Ego non mentior*“ dixi, „*Seitzius semper ibi stetit et petasum suum huc illuc movebat, sed nemo ad illum attendit; deinde abiit.*“

3 **canis fricātor +imbalsamātus** – orig. *ausgestopfter Mops*; angl. *stuffed pug-dog*; fr. *carlin empaillé*; hisp. *doguillo/carlino relleno*; ital. *carlino impagliato, imbalsamato*.

cfr <http://ducange.enc.sorbonne.fr/IMBALSAMARE>: „**IMBALSAMARE**, Vox Italica, Gallis, *Embaumer*, Corpus mortui *balsamo* aliisque bonis odoribus condire. Memoriale Potestatum Regiens. ad ann. 1272: Obiit Rex Heuzus... et sepultus fuit ad Ecclesiam FF. Prædicatorum, et fecit Commune Bononiæ eum Imbalsamari...“

4 **thōrācium**, -ī n. orig. *Korsett*. cfr Forcellini: <http://lexica.linguax.com/forc2.php?searchedLG=thoracium>: „**THŌRĀCIUM**, īi, n. 2. *deminut. a thorax*, ut θωράκιον a θώραξ. ¶ 1. Est parvus thorax. *Ampel.* 8. Sicyone in Achaia sunt posita Ulyssis chlamys et thoracium. ¶ 2. **Item parva fascia pectoralis seu sagulum, stomachino, corpetto, farsetto, giubbettino. Lucil. 2. Sat. 26. rīcae, thoracia, mitrae.** ¶ 3. In re nautica esse id, quod Italice *cassa delle pulegge* dicitur, tradit cl. *Guglielmotti, Di due Navi Rom.* etc., sed nullo classicae Latinitatis auctore laudato“.

Rosa in me invecta dixit, cur nil dixissem. „Quia“ inquam, „matertera locuta est et non licet sermonem interrumpere hominum aetate proveciorum“. Tum istae torvum mihi reniduerunt, et amita Theresia ex matre meâ quaesivit, nonne me vellet vituperare, quia, si Provisor esset laesus, hoc factum esset meâ culpâ.

Tum mater mea: „Verum est“ inquit, „Ludovice, oportet, ut proximâ vice nos moneas.“

„Proximâ vice!“ clamavit matertera. „Num tu credis virum tantae auctoritatis, quantae est Dominus Seitz, talem rem patitur?“

Tum mater mea: „Dominus Seitz“ inquit, „certo scit me nolle se laedere. Qui hodie fuit apud nos, et cum eo bene collocuti sumus“. – Amita autem: „Quis“ inquit „fuit apud te?“ - „Dominus Provisor Seitz; qui nos visitavit.“ Hôc audito Rosa oculis raptim apertis amitam aspectavit. Tum ego studiosê affirmavi *Seitzium* mihi pollicitum esse saccharum ursinum, quia ei narravissem de Corâ.

Tum Rosa tam vehementer prosiluit, ut pocillum inverteret, et opus suum uncinulandi iniecit in perulam suam vellutinum et dixit se non iam manere. Et amita Theresia etiam tibiale suum perulae imposuit, et rebus confectis matri meae dixit improbissimam esse eam iam pridem aetate proveciorem adhuc insidias parare.

Tum mater mea prorsus obstupefacta: „Quasnam insidias?“ At amita Theresia dixit, utinam Deus averteret, ne mater mea simularet se esse innocentem, et eam visuram esse, num gratias acceptura esset ab istâ Indianâ. Deinde illae abierunt. Cora autem modo vênit cum opertorio, quod saepius acu pingebat. At istae Coram praetereuntes simulaverunt se nihil videre. Cora interrogavit, quidnam factum esset. Tum mater: „Equidem nescio“ inquit, „Scisne tu, Elisabetha?“ At matertera Elisabetha surrexit et: „Videntur varia et dicitur nihil, et multa possunt dici, sed malunt reticere.“ Eadem avunculo Iosephulo annuit, ut deberet secum abire, et ille pyxidem tabaci sacculo indidit et materteram secutus est. Cum ea avunculum non aspectaret, caput convertit, sed cum matertera tamen etiam hoc videret, avunculus debuit eam praeire.

Mater mea autem in sellâ considens caput concutiebat. Nam nescivit, quare amita atque matertera indignentur. At ego hoc scio: quae stomachantur, quod Seitzius oculos suos non tantopere emittit Rosam aspectans quantopere Coram.



LUDOVICUS EIUSQUE MATER

CAPITULUM QUARTUM DECIMUM
FABULAE ROMANICAE
A LUDOVICO THOMA SCRIPTAE,
C.T.
NARRATIUNCULAE PUERI MALE MORATI
(Lausbubengeschichten)
IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS

IN OCCIDENTE NIHIL NOVI¹



**Opus auctore
Erico Mariâ Remarque
a.1929 editum,
a Leone Latino
in Latinum conversum**

Historia primi belli mundani ex personâ militis gregarii narrata: Paulus Bäumer undeviginti annos natus iuvenis terrores belli omnino non suspicatus miles voluntariê factus pro animi inflammatione adventurisque, quas exspectaverat, experitur trucidationes saevissimas et mortes commilitonum absurdissimas. In hōc libro ex multis annis plurimum divendito Ericus Maria Remarque quadamtenus ab inferis ciet terrores primi belli mundani idque rapidâ cum vivacitate narrandi et sermone, quo omnem iuvenum generationem denuo allocutus tenet correptam.

¹ cfr Pars Prima: EL 168, 3-23





ERICH MARIA REMARQUE
(1898-1970)

Dieses Buch soll weder eine Anklage noch ein Bekenntnis sein. Es soll nur den Versuch machen, über eine Generation zu berichten, die vom Kriege zerstört wurde – auch wenn sie seinen Granaten entkam.



Hôc libro ne quem accusem neve quid confitear. Quo nihil conabor nisi referre de generatione hominum, quae bello destructa est - etsi eius granata effugerat.

Caput alterum

II




PAUL BÄUMER

Mirum mihi videtur me cogitare de dramate incohato, quod inscribitur „*Saul*“ deque decuriâ carminum, quae iacent domi, in quodam mensae scriptoriae forulo reciproco. Nonnullum vesperum dêgi haec scribens, quod nos solebamus facere ferê omnes; at hoc mihi interim tam alienum videtur, ut vix animo fingere possim me umquam talia fecisse.

Ex quo hîc sumus, vita nostra prior a nobis quodammodo absecta est, quamquam hoc nullo modo studuimus efficere. Interdum conamur cursum vitae nostrae disponere et explicare, sed hoc nobis parum bene contingit. Nobis ipsis iuvenibus vicenariis omnia sunt incerta et obscura, *Koppio*, *Müllero*, *Leerio*, mihi, nobis, quos *Kantorekius* appellat iuventutem ferream. Ceteri viri aetate provectiores omnes firmê colligati sunt cum rebus prioribus, illi habent fundum, habent uxores, liberos, professiones et commoda petenda, quae iam sunt fortiora quam ut bello possint dirumpi. At nos vicenarii nihil habemus nisi parentes nostros et nonnulli puellam. Hoc non est multum – nam nostrâ aetate auctoritas parentum est infirmissima, et puellae nondum praevalet. Praeter ea nos non multa alia habebamus; aliquantum somniationum et dilectionum rerumque scholarium; remotiora iuventus nostra nondum capiebat. At harum rerum nihil nobis relictum est.

Kantorekius diceret nos modo stesisse in limine existientiae nostrae. Ferê talis est condicio nostra. Nondum terrâ coalueramus. Bello tamquam undâ sumus subluti. Aliis, id est viris aetate provectoribus, bellum est interruptio; qui possunt trans bellum cogitare. At nos bello correpti nescimus, quonam modo hoc finiatur. In praesenti nil scimus nisi nos mirê atque maestê obbrutuisse, quamvis ne contristemur quidem saepius.



PROFESSOR KANTOREK

DULCE ET DECORUM EST PRO PATRIA MORI

*

Eo quod *Müller* studet accipere caligas *Kemmerichii*, non minus misericors est quam aliquis, qui prae dolore non audeat cogitare de caligis. Sed scit distinguere. Si caligae adhuc aliquatenus prodessent *Kemmerichio*, *Müller* mallet transcurrere nudis pedibus filum ferreum spinosum quam deliberare, quomodo has caligas acciperet. At nunc caligae sunt res, quae prorsus non spectant ad statum *Kemmerichii*, cum *Müller* iisdem bene possit uti. *Kemmerichius* sic quoque morietur, quicumque caligas accipiet. Ergo quid est, cur *Müller* non studeat easdem accipere, nam *Müllero* plus iuris est has caligas possidendi quam alicui sanitario! *Kemmerichio* iam mortuo nimis sêrum est caligas petere. Itaque *Müller* iam nunc attendit, ne nimis sêro veniat. Non iam sentimus alias cohaerentias, quia eadem sunt nimis artificiales. Nobis nihil rectum est nihilque utile nisi res factae. Necnon bonae caligae sunt rarae.

*

Prius etiam hoc fuerat aliud. Cum iremus ad magistratum militem, adhuc eramus classis viginti iuvenum, qui, nonnulli primâ vice, quâdam insolentiâ elati unâ siverunt se rasitari, antequam intrarent aulam castrorum. Multa consilia firma temporis futuri animis conceperamus, paucissimi nostrum cogitabant de cursu honorum deque professione suâ futurâ tam certê, ut definirent modum vivendi, pro eo autem animi nostri pleni erant idearum incertarum, quibus vitam necnon bellum fingeremus quodammodo idealia, et paene romantica. Per decem septimanas ratione militari eruditi sumus et illo tempore gravius transformati sumus quam decennio institutionis scholaris.

Didicimus botonem purgatum plus valere quam quattuor tomos *Schopenhaueri*. Primo mirati sumus, deinde irâ incensi, denique socordes cognovimus non praevalere mentem, sed peniculum calcearium, non cogitatum, sed systema, non libertatem, sed exercitium militare. Animi inflammatione atque bonâ voluntate facti eramus milites; at omnia facta sunt, ut hae excuterentur ex animis vestris. Post tres septimanas non iam incomprehensibile nobis fuit tabellarium epomidibus instructum plus potestatis habere erga nos quam prius parentes nostros, nostris educatores et omnes unâ cultûs



HIMMELSTOSS

civilis praeceptores a *Platone* usque ad *Goetheum*. Oculis nostris iuvenilibus vigilibusque videbamus notionem patriae classicam magistrorum nostrorum hîc in tempus quoddam eo ad effectum adduci, quod tantopere humiliaremur, quantopere numquam quis humiliaret quemvis mediastrium. Salutare, stare corpore erecto, sclopetum ostentare, converti dextrorsum, converti sinistrorsum, calces compellere, increpitari, milies vexari atque molestari: nos munus nostrum mente finxeramus omnino aliud nobisque videbamus ad facinora heroica committenda praeparari tamquam equi circenses. At mox assuefacti sumus, immo intelleximus partem harum rerum esse necessariam, alteram esse supervacaneam. Nam miles instructus est naso subtili, quo distingueret hoc ab illo. Terni et quaterni nos discipuli nostrae classis distributi sumus ad singulas corporalitates, unâ cum Frisiis piscatoribus, agricolis, operariis fabrique, quibuscum celeriter amicitiam iunximus. *Kroppius*, *Müller*, *Kemmerichius* egoque attributi sumus nonae corporalitati, quam duxit subofficiarius *Himmelstossius*. Qui habebatur pro vexatore totius aulae castrensium omnium acerrimo, ideoque gloriabatur; vir corpore parvo atque solido, qui per duodecim annos militiam fecerat, subio coloris vulpini verticillato, professione civili tabellarii. Qui subofficiarius quam plurimum cupiebat vexare *Kroppium* et *Tiadenum* et *Westhusium* necnon me ipsum, quia sentiebat contumaciam nostram clandestinam. Mâne aliquo quater decies stravi istius lectum. *Himmelstossius* iterum iterumque modum lecti sternendi meum vituperans lodicem lintheaque deripiebat. Per viginti horas - pausis scilicet interpositis - laborem exanclans caligas praevetustas et saxo duriores unguento oblinendo reddidi butyro molliores, ut ipse *Himmelstossius* nihil iam inveniret vituperandum; - mandatu eius peniculo dentario conclave corporalitatis verrendo purgavi; - *Kroppius* et ego peniculo manuali et vatillo verrendi suscepimus mandatum aulae castrorum verrendo a nive liberandae, et nos pertulissemus et obduravissemus, usque dum frigendo moreremur, nisi forte fortunâ quidam subcenturio apparuisset, qui nobis amissis *Himmelstossium* fortiter increpitavit.

Sed dolendum nobis fuit, quod inde nihil effectum est nisi ut *Himmelstossius* nobis etiam vehementius irasceret. Per quattuor septimanas continuas omni die Dominicâ vigiliâ egi et tantoque spatio temporis conclave curavi purgandum; - cum omnibus sarcinis et sclopeto in lapsili et umido agro arato exercui *raptim prosilire* et *me humum deicere*, usque dum nihil essem nisi glæba sordidissima et collaberer; - quattuor horis post *Himmelstossio* monstravi armamenta mea purgatissima, sed manibus fricando sanguineis; - cum *Kroppio*, *Westhusio*, *Tiadeno* sine chirothecis et gelu acerbissimo saeviente per quadrans horae exercui *constare immotus*, digitis nudis fistulae sclopeti gelidae impositis, cum insidiosê circumrepebat *Himmelstossius*, qui exspectabat motum vel minimum, ut delictum animadverteret; - nocte horâ secundâ octies camisiâ tantum indutus a summo tabulato castrorum decurri usque in aulam, quia subligar meum nonnullis centimetris super marginem scabilli eminebat, in quo omnis nostrum vestimenta sua debuit exstruere. Iuxta me currebat *Himmelstossius* subofficiarius munere fungens, et digitos pedum meorum calcabat; - iterum iterumque mihi battuendum fuit cuspide lapurdianâ sclopeto impositâ; mihi autem battuenti fuit ferrea compages ponderosa, illi leve sclopetum ligneum, ut ille commodê posset brachia mea suggillare; at aliquando, cum denuo hoc faceret, irâ incensus *Himmelstossium* temere praetercurrens tantâ vi eius stomachum pulsavi, ut decideret. Cum *Himmelstossius* quereretur, centurio eum irridens dixit, ut caveret; nam is cum novisset subofficiarium suum, visus est gaudere de eius repulsâ. - Factus sum erêptor¹ armariorum perfectus; - paulatim genuflexiones tam perseveranter exercueram, ut etiam hōc exercitio superarem commilitones ferê omnes; - solâ voce *Himmelstossii* auditâ tremebamur, tamen iste veredus² efferatus non fregit voluntatem nostram.

Cum *Kroppius* et ego die Dominicâ in castris tuguriorum situlas latrinarias ex perticâ suspensas per aulam portaremus et *Himmelstossius*, trossulus comptus et pumicatus, totus de capsulâ, paratus ad ambulatiunculam delectabilem faciendam, nos tamen consulto caespitantes situlas effudimus super istius pedes. Qui furore correptus est, sed mensura erat plena.

„*Hoc luetis custodiâ castrensi!*“ clamavit.

At *Kroppius* non iam voluit humiliari. Îdem: „*Antea*“ inquit „*fiet disquisitio officialis, ubi nos omnia patefaciemus.*“

„*Qui audes sic loqui cum subofficiario!*“ rugivit *Himmelstossius*, „*esne mente captus? Exspecta, dum rogeris! Quid faciatis?*“

Tum *Kroppius*: „*Delicta*“ inquit „*patefaciemus Domini Subofficiarii!*“ et digitos appressit suturae bracarum.

Nunc autem *Himmelstossius* animadvertit, quid fieret, et tacitus abiit. Antequam abiit, adhuc crocitavit: „*Hoc vobis interam*“, – sed potestas eius infracta erat. Semel etiam conatus est nos in agris aratis vexare imperando, ut *nos deiceremus* et *raptim prosiliremus*. Oboedimus quidem omni mandato; nam mandatum est mandatum, quod exsequendum est. At nos idem tam lentê exsecuti sumus, ut *Himmelstossius*

1 **erêptor**, -ōris m. orig. *Kletterer*. **N.B.!** Vocalis paenultima est longa, nam hoc verbum ducitur ab **erêpendo**. Quod distinguas a substantivo, q.e. **erêptor**, et ducitur ab **eripiendo**.

2 **verêdus**, ī m. orig. *Postpferd*, i.q. equus cursualis, qui epistulas transportat. Auctor hōc nomine *Himmelstossii* irrisorio alludit ad professionem eius civilem: Iste subofficiarius ante bellum fuerat tabellarius. Ceterum nomen equi theodiscum, q.e. ‚*Pferd*‘, derivatur a verbo Latino, q.e. **paraverêdus**, i.e. equus cursualis, qui adhibebatur in viis secundariis.

desperaret. Segniter genua fleximus, deinde bracchia et cetera; interea ille iam alterum dederat mandatum. Antequam nos sudaremus, ille erat faucibus raucis.

Tum nos omisit. Adhuc nos appellavit canes porcinos. At maledictis submissê expressit quandam aestimationem nostri.

Fuerunt etiam multi corporales probi, qui erant prudentiores; immo probi erant plures. At praecipuê omnis eorum volebat munus suum commodum quam diutissimê retinere in patriâ gerendum, et hoc facere non poterat nisi tirones tractabat acriter.



Nos vexati sumus exercendi atque obdurandi causâ omni modo quo fieri potuit, ut saepe irâ incensi ulularemus. Nonnulli nostrum istâ vexatione in morbum inciderunt, *Volfius* mortuus est pulmonum inflammatione. At nobis visi essemus ridiculi, si humiliati cesissemus. Obdurati sumus, suspiciosi, immisericordes, ultionis cupidi, crudi, – et hoc erat bonum; nam ab his qualitatibus vacavimus. Si missi essemus in fossam castrensem sine hâc tirocinio, plerique nostrum in insaniam incidissent. At sic praeparati eramus ad haec, quae nobis imminebant.

Non fracti sumus, sed nos accommodavimus; aetas viginti annorum, quâ nonnulla alia nobis erant perdifficilia, in hac re nos adiuvit. Gravissimum autem erat in nostris animis excitari firmam concordiam practicam, quae in campo proelii deinde exaucta est ad rem optimam omnium quae bellum efficiebat: ad sodalitatem!

*

Sedeo ad lectum *Kemmerichii*, qui magis magisque tabescit. Circa nos est multus strepitus. Tramen valetudinarium advenit, et eliguntur saucii transportabiles. At medicus lectum *Kemmerichii* praeterit, eum ne aspicit quidem.

Dico: „*Proximâ vice, Francisce*“.

Is surgit ad cubita. „*Amputaverunt femur meum*“.



Ergo hoc nunc iam scit. Annuens respondeo: „*Gaude, quod nihil peioris tibi accidit.*“

Is tacet.

Pergo loqui: „*Potuit etiam fieri, ut utrumque femur amitteres, Francisce. Wegeler amisit brachchium dextrum. Hoc est multo peius. Necnon licet tibi domum redire.*“

Me aspicit. „*Putasne?*“

„*Scilicet.*“

Ille repetit: „*Putasne?*“

„*Certê, Francisce. Sed primum necesse est te recreari a sectione.*“

Innuit, ut me admoveam. Caput deflecto ad Franciscum, et is susurrat: „*Ego hoc non credo.*“

„*Noli gerras loqui, Francisce, post nonnullos dies ipse hoc intelleges. En quantula res est: femur amputatum; hîc res multo maiores emplastro reparantur.*“

Is autem alterâ manu sublatâ: „*En vide*“ inquit „*istos digitos*“.

Tum ego: „*Hoc*“ inquam „*efficitur sectione. Dum satis bellê comedas, pondus tuum augebitur. Afferuntur tibi cibi sat multi bonique?*“

Is digito indicat patinam, quae est adhuc semiplena. Tum ego excitatus: „*Francisce*“ inquam „*tibi comedendumst. Maximê valet comedere. Hic cibus haud malus esse videtur.*“

Is recusat. Post pausam lentê dicit: „*Aliquando volui fieri saltuarius superior.*“

Tum ego consolaturus: „*Talis fieri*“ inquam „*etiam poteris. Nunc protheses sunt mirabiles, quibus instructus ne sentias quidem tibi aliquid deesse. Quae musculis applicantur. Prothesibus manualibus digiti possunt moveri et operari, immo scribere, et praeterea certê invenientur instrumenta etiam meliora.*“

Is aliquamdiu iacet tacitus. Deinde: „*Licet*“ inquit „*tecum auferre calceos meos corrigiatis, ut tradas Müllero.*“

Anno et delibero, quibusnam verbis eum adhortari possim. Eius labia videntur abstergendo ablata esse, eius ôs est maius factum, dentes eminent tamquam cretaei. Caro diliquescit, frons fortius concameratur, ossa genarum prominent. Facies strigosa est. Oculi iam demerguntur. Post nonnullas horas periturus est.

Franciscus non est primus homo, quem talem videam; sed nos unâ adolevimus, ideoque res aliter se habet. In scholâ eius relationes furtim describebam. Plerumque gerebat fuscâ synthésin vestimentorum cingulo instructam, cuius manicae erant

detritae. Is fuit unicus nostrum, qui inter exercitationes gymnasticas *in amite* facere posset *undam ingentem*.



Cum hoc exercitium faciebat, capilli in eius faciem cadebant tamquam sericum fulgentes. Itaque *Kantorekius* de eo gloriabatur. At sigarella *Franciscus* non patiebatur. Eius cutis erat peralba, aliquatenus erat puellae similis.

Valentin von Terni († 14. Februar 269), auch Walentin von Terni, ist ein Heiliger und Märtyrer der römisch-katholischen Kirche. Im 3. Jahrhundert nach Christus war er Bischof von Interamna, dem heutigen Terni. Valentin von Terni wird heutzutage als Patron der Liebenden verehrt, so dass auf ihn das Brauchtum des Valentinstags zurückgeht.

Valentin von Rom soll als Priester Liebespaare trotz des Verbots christlich getraut haben und deswegen am 14. Februar 269 hingerichtet worden sein. Zudem habe Valentin den frisch verheirateten Paaren Blumen aus seinem Garten geschenkt. Die Ehen, die von ihm geschlossen wurden, haben der Überlieferung nach unter einem guten Stern gestanden.

Quelle: Wikipedia

Siegfried von Växjö

auch: Sigfrid, Sigurd

Gedenktag katholisch: 15. Februar

Name bedeutet: Sieg und Friede (althochdt.)

Glaubensbote in Schweden, erster Bischof von Skara

* in England

† 15. Februar nach 1045 in Växjö am Heiligensee in Schweden

SANCTVS SIGFRIDVS
 COENOBITA STRENVVS
 MISSIONARIVS ANGLOSA XONICVS
 ATQVE PATRONVS SVECIAE
 ORET PRO PAVPERIBVS

MMXXIV

Sigfrid war der Überlieferung nach Mönch in Glastonbury und kam um 995 als Missionar nach Norwegen, dann nach Schweden. Widerstände der Bevölkerung gegen seine Missionsarbeit trieben ihn nach Süden, wo er nach manchen Quellen in Skara das erste schwedische Bistum gründete. Nach weiterer Tätigkeit in Norwegen war er zuletzt wieder in Südschweden tätig.

Erzbischof Liawizo bestätigte nach dem Zeugnis von Bischof Adam von Bremen einem Sigfrid den Missionsauftrag für die nordischen Länder. König Olaf sandte ihn zur Predigt aus, schließlich wurde er um 1035 der dritte Bischof von Skara.

Später ist in isländischen und norwegischen Quellen ein Bischof Sigurd erwähnt, der wohl um 1008 in Husaby in Västergötland den schwedischen König Olav Erikson Skötkonung taufte, und in Växjö als Märtyrer zusammen mit seinen drei ihm verwandten Gehilfen - nach manchen: seine Neffen - Unaman (Winaman), Vinaman, Sunaman starb. In Växjö, das später Bischofssitz wurde, ist dessen Verehrung 1208 bezeugt. Sigurd ist wohl mit Sigfrid identisch.

Sigfrid wird als Apostel von Schweden verehrt. Die Reliquien wurden teilweise in der Reformation vernichtet.

Kanonisation: Sigfrid wurde nach unsicheren Quellen 1158 heiliggesprochen. Seit 1474 wird er als Patron von Schweden verehrt.

Attribute: hölzerner Kessel mit den drei Häupter seiner Neffen Unaman, Sunaman und Vinaman, die als Märtyrer gestorben waren

Patron von Schweden

Quelle: https://www.heiligenlexikon.de/BiographienS/Sigfried_von_Vaexsjoe.htm

CHRONOGRAMMATA
INGENIOSE ATQUE INDUSTRIOSE
CONFECIT
TOBIAS RÖSSLER

NUM BIBLIA EXORTA EST IN ARABIA?



كمال الصليبي

KAMAL SALIBI


(1929-2011)

„I believe I have made a remarkable discovery, which should make possible a radical reinterpretation of the Old Testament.“ **KAMAL SALIBI**

„It is dangerous because Salibi's ideas have all sorts of implications, not least in terms of the legitimacy of the State of Israel“. **Tudor Parfitt**, "The hijacking of Israel", [The Sunday Times](#) (London) 27 October 1985

„The theory is considered to be a fringe theory. According to **Itamar Rabinowitz**, the theory allegedly embarrassed many of his colleagues. Rabinowitz discounts antisemitism as the impetus for the book because Salibi "was not a sworn enemy of Israel or Zionism." He speculates, however, that it might've been "an intellectual exercise" for Salibi, whom he considers a "top historian."

Several academic reviewers criticised Cape for having accepted "The Bible Came from Arabia" for publication". https://en.wikipedia.org/wiki/Kamal_Salibi



<https://www.amazon.de/-/en/Bernard-Leeman/dp/1515169618>: **The Queen Of Sheba & Biblical Scholarship 21.** July 2015, English edition by **Bernard Leeman** (Auctor): „This book examines evidence connected with the life of Queen of Sheba, including the Sabaean inscription on the Ethiopian plateau, aspects of the Ancient West Arabian language, and geographical references in Ge'ez Kebra Nagast to offer a third alternative. It argues that the Old Testament is an accurate account but its events took place in West Arabia, not Palestine. It suggests that scholars are unwilling to consider such a strong possibility because, if true, it would not only completely undermine the raison d'être of the State of Israel but also force a total reassessment of Biblical, Arabian, and North East African history. ...

<https://baheyeldin.com/science/kamal-salibi-and-the-israel-from-yemen-theory.html>

By Khalid on 2005/04/20 - 20:26, last updated 2019/01/18 - 14:36

One highly tenuous theory, is by Professor **Kamal Salibi**'s of American University in Beirut. In his 1985 book **Bible Came from Arabia**, he compares place names in the Bible with names in Arabia today, and concludes that Palestine had absolutely no historical Hebrew presence, and rather South West Arabia is what the Bible refers to as Israel! Moreover, Moses and Pharaoh were not in Egypt, but rather in Yemen! Egypt in the Bible is not today's Egypt, ...etc.

To bring both sides of the argument to the table, I have to mention that I received an email on April 2005 from Dr. Bernard Leeman stating the following:

I have just published "Queen of Sheba and Biblical Scholarship" (AWP, New Jersey) which concludes that Kamal Salibi's hypothesis is correct - that ancient Israel and Judah until 722 and 586 BCE were indeed in Western Arabia. Chaim Rabin's work (1951) (which Salibi didn't consult) on Ancient West Arabian concludes that there is too much Hebrew in certain South West Arabian

*dialects to be coincidental (in the same area that Salibi locates the Old Testament). Also the map references, ancient legal code and other items in the Sheba-Melelik cycle of the Ethiopic (Ge'ez) Kebra Nagast support Salibi. Roger Schneider's discovery of Sabaeen inscriptions near Mekele in Ethiopia not only confirms the presence there of Hebrews ca 800 BCE but also the narrative of the Kebra Nagast. - **There is a lot more evidence, and Salibi should be taken very seriously, even though it means a major reassessment of faith-based history.***

<https://www.spiegel.de/politik/hat-die-bibel-doch-nicht-recht-a-3f639b0b-0002-0001-0000-000013515696?context=issue>


Num biblia tamen non verum dicit?

KAMAL SALIBI historicus Libanensis loca Sacrae Scripturae transponit: Historiam gentis Israelianae ab initiis usque ad reditum ex captivitate Babylonicâ **n o n** actam esse in **P a l a e s t i n â**, sed in regione **A S I R**, quae sita est in Arabiâ austro-occidentali. Hanc thesin provocatoriam defendit **Kamal Salibi**, Professor Universitatis Americanae Berytensis, nominibus locorum biblicis et arabicis inter se comparandis. Estne haec thesis »ratione historiae linguarum *defensibilis*«, ut concedit quidam arabista Germanus, an »*insana et nimis altê repetita et ridicula*«, ut iudicant duo archaeologi Israeliani?

Liber originalis est hic q.s.: **Kamal Salibi, The Bible came from Arabia, Radical reinterpretations of Old Testament Geography.** London (Jonathan Cape) **1985**. Textus huius libri completus (ed. Pan Books 1987) invenitur in situ interretiali, q.s.:

<https://quranite.com/wp-content/uploads/2021/05/The-Bible-Came-From-Arabia-by-Kamal-Salibi-2016.pdf> . -

Versio theodisca est haec q.s.: »**Die Bibel kam aus dem Lande Asir. Eine neue These über die Ursprünge Israels**«, 224 pp., edita est in domo editoriâ Rowohlt, in oppido Reinbek prope Hammaburgum, **a.1985**.




דָּוִד בֶּן-גּוּרִיּוֹן

DAVID BEN-GURION (1886-1973)

- Die quinto mensis *Ijjar* anni 5708 temporis iudaici, **d.14. m.Maii a.1948** temporis Christiani, **David Ben-Gurion** brevi ante quietem sabbaticam in Museo Telavivensi recitavit **Declarationem Independentiae novae rei publicae Israelianae**.

Præsidentis Organisationis Mundi Zionisticae declarationem incohavit his verbis quae sequuntur: »In terrâ Israel exorta est gens Iudaica ... Hîc eadem creavit cultum civilem nationalem atque universalem et mundo donavit aeternum Librum Librorum.« Itaque Rem Publicam Iudaicam condi et constitui »vi iuris nostri naturalis atque historici«.

Fortasse Ben-Gurion erravit.



MAHUMETI ITER CAELESTE

Sayyid Arab, Teheran, ca. 1940–1960, lithographia

Secundum Suram *Alcorani* Decimam Septimam *Mahumetus* nocte ex urbe Meccâ Hierosolymam transpositus est, unde îdem, ut narrant piae fabulae posteriores, equo âlato, cui nomen est *Burak*, equitavit in caelum. Califus Damascenus in loco huius itineris caelestis curavit *Tholum Saxi* construendum, unum ex mundi aedificiis excellentissimis. Et in Decreto Conventûs Mundi Islamici omnes nationes Islamicae monentur, ut studeant Hierosolymae liberandae. Praeses Rei Publicae Arabicae Iemeniticae declaravit »*liberationem Hierosolymae esse officium*«.

Fortasse supervacaneum est hoc officium explere.


»*Domine, nos quoque spectavimus Terram Benedictam*«: Sic sinit orare *Pater Hyacinthus M. Wilmes OFM* pios peregrinatores *Terrae Sanctae* itinere exeunte: „*Tibi gratias agimus.*“

Patre ducente aliquot milia peregrinatorum piorum audiverunt in *Mamre* Israeliensi »*actam esse magnam partem historiae patriarcharum*«; in *Monte Nebo* versus orientem Maris Mortui »*Moysi* licuit spectare *Terram Benedictam*«; »*flumen historiae salutis sanctissimum*«, *Iordanem*, transgressus est »*populus foederis vetusti, ut possideret Terram Benedictam*«. Et »*magna pars historiae salutis*« acta est in *Platea Templi Hierosolymitana* - »*Hierosolyma*«, Papa Iohannes Paulus I. dixit

animo inflammato, »heredium sanctum aliquot milionum fidelium, qui addicti essent religionibus monotheisticis Iudaismo, Christianismo, Islamo«.

At fortasse Heredium Hierosolymitanum situm est prorsus alio loco. Fortasse omnes, Iudaei et Christiani et Muslimi ea quae de Terrâ Bibliae in animo confinxerant, oportet novo modo confingant.

Nam terra *Kanaan*, **Terra Benedicta**, in quam *Abraham* a Deo iussus iter fecit et in quam *Moses* gentem Israelianam ex captivitate Babylo nicâ duxit – *Hierosolyma*, *Iericho*, *Betlehem*, *Iordanes*, haec omnia nunc a **KAMAL SALIBI** historico Libanensi circiter duobus milibus chiliometrorum versus meridiem transponuntur, **in provinciam ASIR Arabiae Sauditae**.



Hac in regione inter Meccam et Iemeniam sitâ – n o n in Israeliâ hodiernâ - secundum **KAMALUM SALIBIUM** ea facta sunt, quae in Testamento Vetere narrantur de Patriarchis deque **Gente Dei Electâ**. Mandatu *Mosis Iosua* n o n expugnavit Palaestinam, sed **ASIR**. *David* et *Salomo* fuerunt rēges arabici. Eorum Hierosolyma sita erat in **ASIR**.

Quae erat causa huius terrae transponendae? Salibius invênit »*ferê omnia nomina locorum biblica*« inveniri posse in Arabiâ Saudianâ austro-occidentali. E contrario parvam tantum partem eorum octingentorum nominum localium, quae invenirentur in Bibliâ hebraicâ, certê inveniri in Palaestinâ. Salibius opinatur in secundo millennio a.Chr.n. gentem quandam regionem ASIR antiquam incolentem, id est Israelitas, quendam monotheismum Arabiae occidentalis rudimentarium acceptum ad »*religionem altissimê consideratam scriptis sanctis instructam excoluisse*«.

Historia Israelitarum Arabiam occidentalem incolentium narratur in Bibliâ hebraicâ (quae maximam partem congruit cum Vetere Testamento Bibliae Christianae): pugnae gentium et expugnationes, ortus regni et dilapsio in dynastias inter se competentes »*Iudae*« et »*Israel*«, minae Aegyptiorum et denique interitus... Qui imminuit, cum **Sargon III. Rex Assyrorum** Israeliam regnum Arabiae occidentalis exstingueret eiusque primores deportavit (a.712 a.Chr.).

A.587 denique **Nebukadnezar Babylonius** delevit regnum Iudae Arabiae Occidentalis et Iudaeos abduxerunt in Exilium Babylonium. Cum Persae a.539 Babylonem expugnarent, captivi – aut eorum posteri – liberati sunt. At in patriâ suâ nihil invenerunt nisi destructionem atque paupertatem. Iisdem tam difficile erat civitatem recondere et reconstruere, ut plerique eorum emigrarent in alias regiones.

At quomodo Iudaei in Palaestinam venerunt, ubi historia Iudaica acta esse usque ad destructionem Hierosolymae a.70 p.Chr. traditur? Salibius hoc animo confinxit hōc modo:

Primi coloni Iudaei in Palaestina fortasse fuerunt »*mercatores et peregrinatores caravannorum ex Arabiâ occidentali venientes*«, quia iam secundo millennio procedente ex ASIR venerunt in septentrionem. Sed verisimile est praecipuê undas emigrationum effectas esse turbationibus bellicosis: Iterum iterumque Aegyptii, postea etiam Assyrii et Babylonii expeditiones militares faciebant, ut Arabiam occidentalem in potestatem suam redigerent.

Coloni Iudaei ex ASIR oriundi nonnullis (certê non omnibus) coloniis suis Palaestinensibus imposuerunt nomina Arabiae occidentalis – ut fieri solet ubique terrarum »*immigratores omnibus temporibus urbibus et regionibus, montibus et fluminibus nomina sibi consueta, quae secum attulerant ex patriâ suâ*«.

Verisimile est etiam ex Captivitate Babylonicâ maiorem gregem Iudaeorum non remigrasse in ASIR -, sed immigrasse in Palaestinam.

Libri **Esrae** et **Nehemiae**, quibus narratio historica bibliae hebraicae finitur, scripti sunt in **Palaestinâ** post exilium. Quibus narrantur res, quae iam in hac terrâ Iudaeorum nova fieri feruntur, e.g. aedificatio templi in urbe, cui Iudaei immigratores ex ASIR oriundi »*aliquando inter saeculum octavum et quintum a.Chr.*« nomen imposuerunt **Hierosolymae** – secundum nomen illius urbis suae prioris Asirensis.

Kamal Suleiman Salibi, 55 annos natus, Professor historiae Universitatis Beryti Americanae, qui has theses orbi docto proponit recensendas¹, hōc libro publicato

¹ Liber originalis est hic q.s.: **Kamal Salibi, The Bible came from Arabia, Radical reinterpretations of Old Testament Geography. London (Jonathan Cape) 1985.** Textus huius libri completus (ed. Pan Books 1987) invenitur in situ

simul »tamquam crabrones irritavit et scientistas et politicos«, ut scripsit quidam diurnarius Novae Ephemeridis Turicensis².

At imprimis *Salibio* obiectae sunt opiniones praeiudicatae: »Non credo Arabem de hōc themate scire scribere commentationem satis gravem«, dixit quidam Professor Germanus Testamenti Veteris rogatus, ut iudicaret de thesibus Salibianis, et Professor disciplinae arabisticae confessus est *se ratione stabili firmâque nullum aperire librum Arabicum, qui scriptus esset ad usum scientificum.*

Maiores Salibii ineunte saeculo undevicesimo in montibus prope Berytum sitis sedem sibi stabilem collocaverant. Qui adiuvati sunt a missionariis europaeis, qui gentem Salibianam disiectam a fide graeco-orthodoxa ad evangelico-lutheranam converterunt.

De patre suo, qui – ut iam avus – fuerat medicus, Kamal Salibius dicit illum sibi videri fuisse in animo suo agnosticum, sed eo non impeditum esse, ne ecclesiam frequentaret et in oppido *Bhamdum* patrio suo munus presbyteri susciperet.

Salibius recordatus: »Propter peccata« inquit „infantiae meae saepe debebam memoriae mandare longos textus Veteris Testamenti«. Familiae suae consuetudinem more traditam fuisse se puerum fabulas biblicas memoriter narrare.

In scholâ praecipuê studuit religioni et musicae noscendae, in *Conservatorio Libani Nationali* Kamalo iuveni institutio theoriae musicae et doctrinae compositionis evasit fructuosê: Nonnullis annis post, studiis universitariis modo finitis libello textuali, quem ipse scripserat, composuit melodramatum, c.t. »Marchionissa Baden-Badensis«, quod bis actum est in theatro Berytensi.

In Universitate Beryti Americana elegit disciplinas *Scientiae Politicae* et *Historiae Europaeae*. Praeterea coepit studere *linguae Syrica* et *biblicae linguae Hebraicae*.


A.1953 Londinii promotus est ad gradum Doctoris dissertatione, quam scripsit de historiographia Maronitarum, id est sectae palaeochristianae. Deinde ei contigit, ut susciperet munus in Universitate Beryti Americana, primo labores exanclavit bibliographicos. Altero anno suo universitario simul accepit munus Professoris Assistentis cum mandato historiam et archaeologiam docendi, a.1958 factus est Professor Historiae Libanensis, qualis adhuc est.

Annis septuagenariis scripsit enchiridium alumnorum suorum academicorum, c.t. »Historia Arabiae«. Hunc librum componen Salibius inopinanter incidit in vestigia biblica.

Anni 1979 tempore vernali volaverat in urbem *Er Riad* caput Arabiae Sauditae ad Conventum internationalem *Arabiae praeislamicae investigandae*. In sessione vir aliqui particeps Arabs Saudianus quaesivit, num quis sibi explicare sciret, quid significaret nomen Hadramaut – i.q. quaedam regio austro-iemenitica.

Complures linguistae conati sunt respondere, sed nemo etymo suo persuasit viris doctis. Tum Salibius indicavit se paratum esse ad respondendum: Quamvis ipse non esset linguista, se sensu linguae inductum sentire arabicum **Hadramaut** respondere

interretiali, q.s.: <https://quranite.com/wp-content/uploads/2021/05/The-Bible-Came-From-Arabia-by-Kamal-Salibi-2016.pdf> . - Versio theodisca est haec q.s.: »Die Bibel kam aus dem Lande Asir. Eine neue These über die Ursprünge Israels«, 224 pp., edita est in domo editoriâ Rowohlt, in oppido Reinbek prope Hammaburgum, a.1985. 2 orig. „in Wespennester bei den Wissenschaftlern sowie bei Politikern gestoßen“ (NZZ = Neue Züricher Zeitung).



ECCE VERSIO OPERIS SALIBIANI THEODISCA (ed. Hammaburgi a.1985)

hebraico **Hazarmaveth**. Nomen autem q.e. *Hazarmaveth*, affertur in **Tabulâ Gentium** – qualis dicitur – in primo libro Mosis (cap.10, versu 26). Conticuere omnes - quo interlocutori indicatum est eum locutum esse aliquid ineptum.

Tamen Salibius repulsus hoc thema tenebat mordicus. In eâdem conferentiâ cognovit investigatorem linguarum, qui particeps erat Lexici omnium locorum Arabiae centralis componendi.

Salibius statim sibi comparavit omnes viginti tomos usque illud tempus editos et coepit – Berytum reversus - nomina locorum arabica in classes distribuere et inde componere atlantem Arabiae antiquae linguisticum. Ea quae his faciendis invênit, explicat his ferê verbis:

„In oropedio Arabiae occidentalis inter urbem Taif et litem Iemeniae Borealis iterum iterumque incidebam in nomina locorum, quae noveram ex lectione bibliae. Primo cogitavi hanc ideam nihil esse nisi Fatam Morganam et perrexi operari. At quo saepius pervolvebam indicem nominum localium huius regionis, eo plura nova nomina biblica apparebant, et facile intellexi haec nomina esse originaliter hebraica. Sed haec non inveniri nisi in regione 600 chiliometra longa et 200 chiliometra lata, quae complectitur ASIR hodiernum et partem Hedschae australem“.

Tum Salibius *experimentum crucis* faciens in aliis partibus Arabiae Sauditae quaesivit nomina biblica comparabilia – sed frustra: *»Quotiescumque in aliis tomis indicis nominum localium pervolvebam, in nullâ regione aliâ Orientis Propinqui invêni tantam frequentiam nominum localium biblicorum.«*

Etiam alio loco Salibius invênit vestigium. Qui se dedit rationibus bibliae geographico-historicis pernoscendis; ex studiis suis conclusit haec:

»Quod attinet ad Palaestinam et locos eventuum bibliae antiquorum in Palaestinâ inveniendos, multa sunt obscura atque incerta; haec obscuritas et incertitudo bene quadrat ad theoriam meam«.

Salibius cognovit haec: *»Ut demonstraretur Hebraeos ex Mesopotamiâ exortos et per Syriam borealem in Palaestinam migrasse, per plus saeculum vestigia sunt quaesita, sed numquam inventa sunt. Item usque nunc nullum vestigium verum atque indubium inventum est captivitatis Israelitarum Aegyptiensis aut exodi Israelitarum inde factae. Neque iter migratorium Israelitarum ex Aegypto per Paeninsulam Sinaiticam in Palaestinam et occupationem regionis Palaestinensis hodiernae facta esse usque nunc ab ullo scientistâ biblico sufficienter demonstratum est«.*

Deinde Salibius coepit indice nominum localium usus *»unum textum biblicum post alterum transferre in tabulam geographicam Arabiae austro-occidentalis, - ecce! - omnia visa sunt congruere!«.*

Salibius cum in disquisitione suâ nullis indiciis utitur nisi nominibus locorum, apertê dicit conclusionem suam nondum esse satis certificatam: *»Antequam thesis, quam in hac disquisitione propono, pro certâ habere liceat, necesse est, ut archaeologi methodis suis confirment inventa mea linguistica.«*

Itaque verisimile est Salibio adhuc esse aliquantisper exspectandum. Nam usque nunc archaeologis nondum licuit fodere in locis putativè biblicis Asirensibus.

Dominis Saudiarabibus provincia **ASIR**, quam tricenariis demum annis saeculi vicesimi in provinciam regni sui redegerunt, adhuc est regio occupata.

Asir erga peregrinos severius est obseratum quam (fuit) Albania res publica communistica. Ipsis Americanis consiliariis militaribus, qui in Asir construunt novam stationem cryptacusticam et condunt aëriportum militare, ut eundem supponant in locum aeriportûs Eritreae Asmarensis, non licet ambulare extra sedes suas nisi officariis Saudianis comitantibus.

Provincia ASIR



data fundamentalia

res publica	Arabia Saudiana
urbs principalis	Abha
area	76.693 chm ²
numerus incolarum	2.024.285 (census a.2022)
densitas	26 incolae pro chm ²

politica

gubernator	Turki bin Talal Al Saud
vice-gubernator	Khalid bin Sattam bin Saud Al Saud

Sed terra obseratur etiam causis religiosis: In terrâ, cuius incolae coacti sunt, ut se ad islamum converterent, Saudiani volunt omnia vestigia temporis ante Mahumetum tollere – satis odiosum est nonnulla, velut muri ecclesiae tholo instructae *Narjanensis*, relicta sunt.

Itaque cognitiones Salibii primo nihil manent nisi lusus verborum, sed lusus tamen, qui aptus est ad investigatores scientificos inquietandos.

Nam nomina locorum, ut ait Salibius – nec pauci scientistae biblici sic sentiunt - , »*historiam retinent, refrigerant*«. Investigationem toponomasticam (nominum localium) quâdam ratione certiolem esse quam archaeologiam. Salibius: »*Cum*

inventa archaeologica» inquit, »nisi habent inscriptiones, sint muta, nomina locorum loquuntur sermone dilucido.«

Quinque gradibus operandi Salibius conatur nuntios ex rebus inventis elicere:

Gradus 1: Salibius toponomatologus identificat nomina locorum in Arabiâ occidentali, *»quae ex linguâ derivata sunt, cuius consonantes congruunt cum linguâ Hebraicâ biblicâ aut aramaicâ biblicâ«* (et in scripturâ Arabicâ et in Hebraicâ soni non notantur nisi consonantes).

Gradus 2: Salibius invenit magnum numerum eorum nominum localium ex linguâ Hebraicâ exortorum inveniri in Bibliâ, *»cum e contrario pauca tantum nomina locorum biblica hodie inveniuntur in Palaestinâ«*.

Gradus 3: Salibius cognoscit *»in aliis regionibus Paeninsulae Arabicae aut aliis partibus Orientis Propinqui nulla aut multo pauciora quam in Arabiâ occidentali nomina inveniri cum biblicis locorum nominibus congruentia«*.

Gradus 4: Salibius demonstrat nomina Arabiae occidentalis cum biblicis congruentia quadrare etiam ad verba, quae biblia facit de locis eorumque relatione ad alios locos - loci Arabiae occidentalis melius quadrant ad systema coordinatarum biblicum quam ad systema Palaestinense.

Gradus 5: Salibius perscrutatur fontes, qui scaturiunt extra bibliam – praesertim aegyptios et mesopotamicos, sed continent nomina biblica, eademque comparat cum nominibus a se inventis. His confectis concludit: *»Etiam ea conveniunt cum transpositione bibliae in regionem ASIR.*

Lector iam primo conspectu obstupefactus animadvertit permulta exempla tractata reverâ optimê quadrare ad thesin Salibianam.

Secundum primum librum Mosis historia gentis iudaicae incipit ab **»Abram Hebraeo«**, qui ab **Ur Chaldaeensi** iussu Dei migravit **Kanaan** et (nomine Abraham) factus est conditor gentis Israeliae.

Salibius opinatur Hebraeos originaliter fuisse gentem Arabiae occidentalis, quae vivebat in silvis oropedii Asirensis. In indice locorum Saudiano Salibius invenit locum, c.n. **Al-Gabaran**, i.e. *»deus silvarum«*; eidemque verbo inesse formam arabicam nominis **Hebraeorum**. Locus, unde venit Abraham, qui usque nunc – ut ait Salibius – falso – identificatus est urbe **»Ur« Chaldaeorum**, quae sita est in Mesopotamiâ, reverâ fuit locus, qui hodie appellatur **Warya** et situs est in **Wadi Adam** (**Wadi** est vallis sicca sive fluvius, qui exaruit).

Salibius pro certo habet se locatim et vicatim invenisse stationes migrationis Abrahami, quae describitur in 1. Mose 11,31-13,18: illud **Hara** biblicum toponomatologus noster credit esse hodiernum **Nahra** Arabiae austro-occidentalis,

illud biblicum **Sichem** hodiernum **al-Kasma**, illud biblicum **More** hodiernum **Marwa**. Loca biblica, q.s. **Beth-El** et **Ai** a Salibio identificantur cum **Batila** et **Gayy** Arabiae austro-occidentalis.

Etiam narratio bibliae una ex illustrissimis, quae invenitur in primo libro Mosis, apud Salibium apparet in regionem aliam minusque illustrem transposita: est illa, quâ agitur de Iosepho, qui a fratribus suis servus venditur in »**Aegyptum**« ibique in aulâ pharaonis cursum honorum percurrit. Pro nomine, qui solet referri ad **Aegyptum**, in textu hebraico leguntur litterae, q.s. **msrym**, quae respondent **Misrama**, q.e. nomen **loci Arabiae occidentalis**. Misrama est idem oppidum, quod iam Abrahamus auctor gentis Iudaeorum petiverat, ut famem evitaret.

Apud Salibium **terra, quam Deus promisit Abrahamo**, i.e. **terra a fluvio Aegypti usque ad magnum flumen Eufraten**⁵ paululo minor est quam in versionibus bibliae solitis: Toponomatologus hanc terram identificat regione, quae sita est in **Asir** inter **Lith** et **Jizan**. Nam id quod versiones bibliae nostrae appellant **fluvium Aegypti**, secundum Salibium est fluvius prope **Misrama** situs, i.e. **Wadi Itwad**. Et id quod nostrae versiones dicunt esse **Eufraten**, dicit Salibius esse **Wadi Adam** fluvium Arabiae occidentalis.

Etiam in regione ipsius **Misrama** in Arabiâ austro-occidentali sitâ Israelitas fuisse in **Captivitate**, quae dicitur **Aegyptia**. Cum autem Moses dux eosdem ex captivitate liberaret, duxit gentem suam primo per **Wadi Itwad** circiter tria chiliometra latum, quod post imbres annuos saepe per integros dies est flumen rapidum – neque per **Mare Rubrum**, ut solet legi in versionibus bibliae consuetis. Hoc **Wadi** intra spatium minutarum potest amittere moles suas aquaticas, et brevi post novis undis ingentibus inundari – ut describitur in Mosis libro secundo, 14,21: Dominus »**vertit in siccum divisaque est aqua**«.

Inde Mosen Israelitas duxisse in magnum desertum Arabicum versus orientem regionis Asir. **Montem Horeb**, in quo Moses **Decalogum (Decem Praecepta)** accepit, Salibius contendit a se inventum esse prope vicum hodiernum **Harib**.

Illa terra autem, quam **Jahwe** promisit Mosi (4. Mose 34, 1-12), »**Chanaan his finibus terminabitur**«, secundum Salibium est **Arabia occidentalis** inter **Meccam**, **Iemeniam borealem** in meridie, **Mare Rubrum** in occidente et **Desertum Arabiae centrale** in oriente sita.

Limites in bibliâ allati a Salibio locatim transponuntur: e.g. îdem explicat »**Magnum Mare**« esse **Mare Rubrum** (non Mare Internum), »**Desertum Zin prope Edom**« situm esse in oasi hodiernâ **Zin** praeter **Wadi Idima**, **Montem Hor** esse tractum montium ipsius **al-Harra**, biblicum illud **Sephram** esse hodiernum **al-Tafan**. **Iosua** in bibliâ narratur duxisse Israelitas ex deserto in **Terram Promissam**⁶ – trans **Iordanem**. At hic Iordanes secundum Salibium non est flumen, minimê est ille

5 VULGATA Gn 15,18 In die illo pepigit Dominus cum Abram foedus dicens: „Semini tuo dabo terrae hanc a fluvio Aegypti usque ad fluvium magnum flumen Eufraten...“

6 **Terra Prōmissa**: https://la.wikipedia.org/wiki/Terra_Promissa: „**Terra Promissa** (Hebraice המובטחת, *Ha'Aretz HaMuvtahat*) est verbum, quod fontes biblicos sequens ad terram a Deo (sive JHVH) Israelitis promissam datamque denotandam adhibetur. Promissio primo ad Abraham facta est (Gen 15,18-21), tum denuo ad filium eius Isaac, denique ad Iaconum (Gen 28,13), filium Isaac Abrahaeque nepotem.“

fluviolus Iordanes in Palaestinâ fluens, sed est **Montium Asirianorum** dorsum versus occidentem praeruptum, i.e. **dorsum praecipuum Montis Sarat**, qui situs est inter **Taif** in **Hedschas** meridionali et limitem **Iemeniae borealis**.

Salibius etiam hanc interpretationem audacem proponit bonis de causis. Îdem sentit biblico nomini, q.e. »Iordanes«, inesse radicem, quae significet »descendere, cadere, decidere«. Nomen q.e. »Iordanes« esse notionem toponymicam et ferê semper significare **acclivitatem arduam, dorsum montis**. Toponomatologus interpretationem suam nititur quattuor argumentis:

Primo Iordanes in Bibliâ hebraicâ numquam appellatur ipso nomine fluminis, cum in contrario omnes alii fluvii et **Wadi** appellantur etiam flumina.

Secundo in quinque libris Mosis et in libro Iosuae sexies inveniri appellationem »hic Iordanes«, et hoc non esse consentaneum, nisi hoc non sit nomen fluvii aut dorsi montium, sed sit notio generalis topographica: »hic tractus montium« (aut: »haec acclivitas ardua«).

Tertio transitus Iordanis, qui sit secundum Bibliam eventus magnus et molestus, multo verisimilior, si agmen **Iosuae** trans Iordanem non fuit transitus per fluviolum aestate 10 metra latum, sed transcensio catenae montium 3000 metra altae, cuius aquae imbribus ipsius **Asir** vehementibus mutantur in torrentes rapidissimos.

Quarto etiam quasdam peculiaritates relationis biblicae secundum Salibium melius quadrant ad **Asir** quam ad **Palaestinam** hodiernam: Secundum Bibliam Moses Israelitas duxit a **Monte HOR Zalmonam** (hodie: **Salaman**) et per sex locos alios (quos Salibius omnes identificat in **Asir** situs) usque ad **Sittim (Satan)** et »in Iordanem Ierichonis« (ut 4.Mose 33 secundum Salibium est interpretandum), i.q. Salibio videtur esse dorsum montis prope vicum hodiernum siti, q.d. **Warah**, i.e. **Iericho** biblica.

Etiam locus ipse transcendendi a Salibio exactê indicatur: qui est **Transitus Buqran** inter **Adam** et **Guraba** situs. Cum Filii Israel montem per hunc transitum transierunt, secundum Iosuaam 4,8 ex dorso montis sive acclivitate arduâ (versio tradita: fluvius Iordanis) exemerunt 12 lapides, i.e. symbola duodecim gentium Israeliae, quos ad memoriam celebrandam in **Gilgal** (i.e. hodiernum **Gulgul** Arabiae austro-occidentalis) collocaverunt. Salibius hanc anecdotam sic interpretatur: »Anecdota procul dubio est conatus explicandi, cur collis saxosus **Jabal Gulgul** in planitie ipsius **Sahl Gulgul** in **Wadi Adam** inveniatur. Et collis et planities hodie adhuc ibi exstant eorumque nomina biblica non sunt mutata.«

Salibius methodo suâ comparativâ usus etiam urbem **Hierosolymae** ipsissimam non relinquit loco suo litteris tradito positam. Eidem historico persuasum est Hierosolymam regum **Davidis** et **Salomonis** non esse Hierosolymam hodiernam, sed »magnâ cum verisimilitudine« esse hodiernum **Al Šarīm**, quod situm sit in Asirensi dorso montium 2500 metrorum alto, quod esset circiter 35 chiliometris versus septentrionem ab urbe **Nimas** situm. **Al Šarīm** situm est loco ad defendendum apto, praebet conspectum lateris marini necnon montium terrae interioris et vias stratas, quae ferunt et in septentrionem et in meridiem. Idem oppidum, ut facile

vident iter per idem facientes »*abundat reliquiis archaeologicis, quae adhuc sunt investigandae*« (Salibius).

Hierosolymam biblicam aetatis Davidis et Salomonis (1004-932 a.Chr.n.) ibidem nec in Palaestinâ hodiernâ sitam fuisse, Salibius cum aliis tum 25 portis urbis Hierosolymae in Bibliâ allatis confirmare studet: Nam nomina harum portarum biblica respondent nominibus locorum, qui adhuc sunt in circumiectis oppidi *Al Šarîm*.

Attributio Hierosolymae originalis geographica confirmatur etiam a „*Caecis et Claudis*“, quae in altero libro Samuelis commemorantur: Cum David sedem suam ab urbe Hebron Hierosolymam transponeret, difficultates ei factae sunt a »**Claudis atque Caecis**«: **VULG. 2. Samuel 5,6:** „*Et abiit rex et omnes viri qui erant cum eo in Hierusalem ad Iebuseum habitatorem terrae. Dictumque est ad David ab eis: „Non ingredieris huc, nisi abstuleris caecos et claudos dicentes: „Non ingreditur David huc.‘ ... David (8) proposuerat enim in die illa praemium, qui percussisset Iebuseum et tetigisset domatum fistulas et claudos et caecos odientes animam David. Idcirco dicitur in proverbio: „Caecus et claudus non intrabunt templum.“*“

Theologi hunc locum interpretaturi, quod attinet ad *caecos et claudos*, ignorantes, quatenus ipsi *caeci et claudi* Davidi impedimento fuissent et quare eius odium contraxissent, in tantam obscuritatem adducti sunt, ut e.g. *Riessler* et *Storr* catholici eorum loco scripserunt »*flavos et obscuros*«.

At Salibius sine coniecturâ hunc textum reddidit intellegibilem novâ explicatione toponymicâ. Nam dixit »Caecos« et »Claudos« esse nomina incolarum duarum regionum montanarum, quae sitae essent in parte septentrionali provinciae hodiernae, quae appellatur *Jizan*. Regio »Caecorum«: est *Jabal Aura*, regio »Claudorum«: regio circa vicum hodiernum *Suhaif* sita.

Postea Hierosolymae in urbe Asirensi **Salomo** filius successorque Davidis aedificandum curavit illud **templum primum**, in cuius loco sanctissimo collocata est **Arca Foederis**; quae continuit **Tabulas Legum**. Quod templum per saecula fuit pars media fidei iudaicae, sed Hierosolymâ in urbe Palaestinae hodiernâ usque nunc ne ullus quidem lapis eiusdem templi est inventus.

Si Salomo reverâ in Arabiâ occidentali regnavit, etiam facilius intellegitur commercium artius, quod intercessit **inter Regnum Iudaeorum et Regnum Sabae** (1. Reges 10 et 2. Chron. 9): Si Regnum Sabae situm erat in **Iemeniâ**, **Regina Sabae** vicina Israeliae non valdê remota habitavit.

At si e contrario David et Salomo reverâ fuissent domini **Regni Syrici**, - quod - secundum versiones Bibliae traditas - pertigisset »*a flumine Eufratis usque ad terram Philisterorum et litem Aegypti*«, »*certê exstarent relationes aegyptiae et mesopotamicae de tali regno aut saltem tradita essent nomina comparabilia*«, sic sentit Salibius - ; »*sed talia non sunt*«.

Quod tamen in **Palaestinâ** exorta est **altera** Hierosolyma, hoc est secundum Salibium effectum ab Iudaeis immigratoribus **Asirianis**. Quos urbi nomen imposuerunt Hierosolymae, i.e. nomen urbis iam diu antea in **Asir** constructae.

Salibius ut hanc thesin confirmet, provocat ad scripta Veteris Testamenti posteriora (e.g. *Micha*, *Iesaia*, *Zacharia*), in quibus Hierosolyma palaestina appellatur »*Filia Hierosolymae*« et Zion mons Palaestinis appellatur »*Filia Zion*« - similiter ac illi, qui ex urbe *Eboraco* Anglicâ emigraverunt, urbem »filialem« in Americâ conditam appellaverunt »*Novum Eboracum*«.

Philistini, quibuscum Israelitae secundum relationem Biblicae persaepe controversias habebant – qui a philologis biblicis dicuntur fuisse gens maritima, quae ex Cretâ expugnavit Palaestinam, cuius nomen derivatum sit a nomine huius gentis, secundum Salibium spectaverunt ad regionem Arabiae occidentalis, q.d. **Lith**, ubi eorum nomen adhuc compluribus nominibus locorum est relictum. Illustres urbes Philistinorum, q.s. **Gaza** et **Asdod**, **Askalon**, **Gath** et **Ekron**, Salibius putat sitas esse inter locos hodiernos Arabiae occidentalis, q.s. **Lith**, **Qunfudha**, **Birk** und **Jizan**.

Philistini ex Arabiâ occidentali profecti migraverunt in Palaestinam, quam tandem incoluerunt.



Testimonium huius migrationis Philistinorum Salibus invênit apud Herodotum, qui 5.0 saec. a.Chr. scribit de »*Phoenicibus*« et »*Syris Palaestinensibus*« eosdem secundum relationes proprias antiquis temporibus vixisse ad Mare Rubrum. Sed cum inde advenissent, sedem suam collocavisse in litore Syriae, ubi adhuc habitent.

Salibus opinatur *Chanaanitas* similiter ex Arabiâ occidentali profectos migrantes venisse in Palaestinam, ubi etiam sedem suam collocaverint. Eosdem novae terrae suae praeter Palaestinae lîtus septentrionalem syricum sitae nomen imposuisse *Chanaan*. Eorum regio originalis sita erat in latere Asiris litorali, quod Salibus demonstrare studet multis nominibus inter se comparandis.



Iuda Israelitarum antiquorum a Salibio identificatur terrâ collinâ saltuosâ *Hejae* (*Ḥiğāz*) *australis* et *Asiris*, quae versus mare declinatur. Secundum explicationem traditam Iuda fuit Regnum Palaestinae australe, Israel Regnum boreale.



Explicatio nominis **Israel** biblica („*qui cum Deo pugnavit*“, cfr VULG. Gn. 32, 28: »*At ille: „Nequaquam“ inquit, „Jacob appellabitur nomen tuum, sed **Israhel**, quoniam **si contra Deum fortis fuisti**, quanto magis contra homines praevaleris?«*) a Salibio repellitur ut »*typica etymologia popularis*«. Nam Salibius pro certo habet huic nomini subesse verbum temporale priscum, quod significet »*alto loco situm esse*«, et spectare ad nomen tractûs montium, cui nomen sit **Sarat** et ad aliquod decurias nominum localium huius regionis, quae idem significant.

Nec hortus omnium pulcherrimus atque illustrissimus, i.e. **Hortus Eden** vel **PARADISUS** *Bibliae*, inventus est in Arabiâ: Kamalus Salibius coryphaeus toponomatologiae biblicae Libaniansis indicibus et argumentis inventis atque ritè perpensis nobis affirmat **Paradisum** non situm esse aliquo loco Mesopotamiae, ut alii scientistae usque nunc opinati erant, sed in regione **Hawâla** (biblicè: **Hevila**), parte Arabiae occidentalis, ubi **Wadi Tabâla** affluit ad **Wadi Bisha** (biblicè **Pîšōn**) et **Oasis Ğunaina** (i.q. *hortulus*) a fluviis irrigatur, qui ex **Oasi 'Adana** ('*dn*, cfr **Eden** biblicum) aluntur, **20° 20'** (*gradu vicesimo, minuta vicesima*) **septentrionis** et **42° 55'** (*gradu quadragesimo secundo, minuta quinquagesima quinta*) **orientis**.

In libro **Genesis** Veteris Testamenti **PARADISUS**, i.e. **HORTUS EDEN** describitur his verbis (uncinis interposui explicationes nominum Salibianas):

VULG. Gn 1,8-14

(8) Plantaverat autem Dominus Deus paradisum (**gn**) voluptatis a principio, in quo posuit hominem, quem formaverat.

(9) Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu et ad vescendum suave, lignum etiam vitae (**hyym**) in medio paradisi lignumque scientiae (**d't**) boni et mali .

(10) Et fluvius (**nh̄r**, „*fluvius, amnis*“) egrediebatur de loco voluptatis ad inrigandum paradisum, qui inde dividitur in quattuor capita (**r's̄ym**, sg. **r's̄** „*caput, amnis capitalis*“).

(11) Nomen uni Phison (*hebr. Pîšōn, arab. pyšwn*), ipse est, qui circuit omnem terram Evilat (*hebr. Hevila, arab. h̄wylh*), ubi nascitur aurum.

(12) Et aurum terrae illius optimum est, ibique invenitur bdellium et lapis onychinus.

(13) Et nomen fluvio secundo Geon (*hebr. Githon, arab. gyhwn*); ipse est, qui circuit omnem terram Aethiopiae (*hebr. Kuš, arab. kwš*).

(14) Nomen vero fluminis tertii Tigris (*hebr. Hiddekel, arab. hdql*); ipse vadit contra Assyrios (*Assyria i.q. arab. šwr*. Fluvius autem quartus est Eufrates (**prt**)).

**DE TOPONYMIA BIBLICA
A KAMAL SALIBI
HISTORICO LIBANIANO
SCRIPTAE
RETTULIT
LEO LATINUS**

Israeliam ex personâ victimae esse educendam – De Europae responsalitate



RADULFUS (Rolf) VERLEGER
(1951-2021)

https://www.friedensbewegung.ch/wp-content/uploads/2020/06/UW3_14.pdf

Radulfus Verleger, ex multis annis membrum Directorii Centralis Iudaeorum Germanensium, dicit haec: »In terrâ raptâ non potest vivi pacificê«. Hîc afferimus primam partem orationis, quam îdem Professor psychologiae Lubeccensis habuit in Reclamatione contra stragem Gazensem d.26. m.Iul. A.2016 Chilonii factâ.

Scripsit Prof. Dr. Rolf Verleger, Latinê reddidit Leo Latinus.

Pater meus superstes fuit *Ergastuli Osvecimiensis*¹, mater mea ergastulorum Baltici. Parentes me educaverunt, cum cognovissent hominem posse eligere inter bonum et malum omnemque hominem esse facinorum suorum responsabilem: Iidem me educaverunt secundum ethicam religionis iudaicae. Permulti autem Iudaei hodierni sequuntur rationes ethicæ alias. Una ex iis – quæ est varietas ad Germaniam conveniens – est haec: Nos Iudaeos imprimis esse unum: victimas. In praesenti rem publicam Israeliae esse victimam Arabum et »*thelobonorum*² a se ipsis nominatorum« et antisemitarum, qui causâ non intellegibili in odium eruperint. Equidem ex omnibus his hominibus, qui talia dicant, quaerere velim ea quæ sequuntur:

1 **ergastulum** (sc. +**concentratiōnis**), i.q. *Konzentrationslager*. +**Osvecimia**, -ae f. polon. *Oświęcim*, theod. *Auschwitz*.

2 ***thelobonus**, -ī m. i.q. *Gutmensch*. cfr **thelosapiēns**, ntis m./f. i.q. aliquis, qui vult sapiens esse aut pro sapiente haberi. thelo- ducitur a graeco ἐθέλω i.q. *velle*. cfr thelodives, thelohumilis.

Estne eo quod nullus ex parentibus parentum meorum superstes fuerat Imperii Tertii - annis 1947/48 militiis liberis Iudaeorum et exercitui Israeliano ius est concessum aliquot centum milia Arabum ex Israeliâ expellendi? - «*Arizatio*» fundi Berolinensis proavi mei – num eadem rei publicae Israeliae dedit ius annis quinquagenariis ineuntibus solum et possessionem Arabum expulsorum confiscandi?

Num eo quod parentum meorum fratres et sorores ab SS interfecti erant - estne rei publicae ius datum ex 47 annis dictaturam regiminis occupatorii exercendi?

Eo quod *Hanna* avia mea Berolini sclopeto necata erat, quia ad tonsorem ierat sine stellâ flavâ - daturne eo in praesenti rei publicae Israeliae ius populum Gazae fame vexandi? Generaliter: Num eo quod nos Iudaei Europaei victimae facti sumus magnae iniuriae, rei publicae iudaicae coram Deo et hominibus ius datur aliis hominibus iniuriam afferendi? Politici et diurnarii nostri dicunt: «*Israelia habet ius cives suos contra ruchetas iniectas defendendi.*»

Catenaes causales

Iidem homines simulant istas ruchetas iniectas esse sine antecedentibus. Velim hîc afferre duas catenas causales: Unam his tribus mensibus factam et alteram his centum annis:

1) Brevi ante **Kerry**³ frustra disceptavit de pace. Îdem dixit disceptationes ad irritum cecidisse, quia Israelia non desineret in Cisiordaniâ terram annectere neque stare promissae captivorum liberationi. Deinde *Fatah* et *Hamas* factiones antea discordes fecerunt gubernationem unitariam. Quod placuit Unioni Europaeae et Civitatibus Unitis, sed **Netaniahuus** declaravit Israeliam hoc non pati et sub praetextu interfectionis trium iuvenum colonorum, cuius auctor adhuc est incertus, aliquot centum Hamasianos comprehensos in custodiam coniecit; complures Palaestini ante et post ista homicidia ab Israeliae biocolytis et militibus sunt interfecti. Num mirandum est, quod Hamasiani denuo coeperunt iaculari tela sua tubaria ruchetasque?

2) A.1920 **Unio Gentium** concessit Imperio Britannico, ut conderet «*sedem iudaicam*» in «*Regione mandaticiâ Palaestinâ*», parte Imperii Osmanici Primo Bello Mundano discissi. Circa a.1890 incohata erat immigratio zionistica (i.e. studens rei publicae Iudaicae condendae) ex Regno Imperatoris Russici et nunc Mandatu est exaucta. Britanni foverunt comparisonem fundorum, oeconomiam iudaicam separatam construendam, structuram semi-statales faciendas. His rebus omnibus incolae Arabes animo exacerbato, sed ratione vix organizatâ restiterunt. Istaes simultates factae sunt intolerabiles, cum ex anno 1933 politicâ ratione *Hitleri* extirpationis plures Iudaei in Palaestinam aufugiebant.

³ **John Forbes Kerry** (*1943) politicus Civitatum Unitarum, factionis Democratarum. A.2013-17 Minister rerum externarum.

Discordia aeterna

Quae cum ita essent, *David Ben Gurion*, director Corporalitat^{is} Iudaicae Palaestinensis, curavit „**Consilium D**“ concipiendum et ad effectum adducendum: communitates Arabum urbanas esse destruendas eo quod expugnarentur et destruerentur vici rurales in eorum circumiectis siti. His confectis Arabes urbium incolae seiuncti sunt a viis et victualibus et materiis crudis et coacti sunt, ut urbes relinquerent. Ita antequam d.15. m.Maii a.1948 res publica Israeliae pronuntiata est et aliae res publicae propinquae impetum fecerunt in eandem novam, militiis zionisticis contigit, ut plus 200 vicos et urbes expugnarent et earum incolas expellerent. Incolae a terrâ expropriati sunt; qui eorum redibat, nomine tromocratae appellatus sclopeto occidebatur. Ex illo tempore exstat problema profugorum Palaestinatorum et exstat res publica Israeliae, aeternâ discordiâ a vicinis seiuncta, nam in terrâ raptâ non potest vivi pacificê.

Totum problema est problema Europa, est problema nostrum: Nos, Europa, qui simus inhabiles ad minoritates aptê atque aequê tractandas, problema nostrum minoritatum exportavimus in Arabiam et nunc querimur de Arabum antisemitismo putativo. Num politici Germani reverâ credunt *eo* interfectionem meorum agnatorum atque cognatorum compensari atque reconciliari, *quod* nunc Israeliae licet sine ullâ moderatione et obligatione¹ omnia facere, quaecumque ei libet? E contrario Israelia fructum caperet infinitam, si ex positione victimae aeternae mente confictâ educeretur et haud aliter ac omnis alia res publica firmê imponeretur systemati normarum internationali. Id est oportere, ut discriminatio Israelianorum non-iudaicorum perpetua et Cisiordaniae occupatio atque dictatura militaris et obsidio Gazae perennis cum homicidiis multiplicibus periodicis coniuncta tandem puniatur sanctionibus atque exclusionibus. Unio Europae oportet ut Israeliam *ita* aestimet atque mensuret progressibus ius gentium et iura humana observandi, *ut* – sive iusto sive non - aestimat atque mensurat Serbiam atque Turciam. (...)

Fons: kieler-friedensarbeit.de

1 orig. *haltlos und bindungslos*

<https://www.deutschlandfunk.de/800-000-menschen-entwurzelt-und-531-doerfer-zerstoert-100.html>

800.000 HOMINUM RADICIBUS SUIS ORBATOS ET 531 VICOS DELETOS ESSE



ILAN PAPPÉ

אילן פפה

*1954

***Purgatio Palaestinae ethnica** est unum ex illis capitulis historiae saeculi vicesimi, quae ab hominibus ambitiosis soleant oblivione sepeliri. Quo **Ilanus Pappé**, Israelianus politologus et director Instituti conflictûs investigandi Universitatis Haifaënsis, non est impeditus, ne hoc thema subtiliter tractaret et fructûs investigationis suae divulgaret. Recensio sive existimatio libri a **Marcello Pott** scripta d.03. m.Sept. a.2007*

»Ego comprobo translationem gentis (sc. Palaestinatorum) coacticiam; eidem nihil video inesse turpitudinis¹«. **DAVID BEN GURION** (1886-1973)

Iam verbis **Davidis Ben Gurion** Conditoris Rei Publicae Israeliae allatis, quae praefationi auctoris sunt praeposita, lector commovetur, ut primae notulae studeat cognoscendae. Nam îdem scire vult, quo tempore ipso *Ben Gurion*, qui in Israeliâ colitur „*Pater Nationis*“, hanc sententiam dixerit de incolis Palaestinae arabicis et cui homini haec dixerit.

Accipimus *Davidem Ben Gurion* d.12. m.Iunii a.1938 in sessione executivae *Agentiae Iudaicae* defendisse translationem incolarum Palaestinae coacticiam. *Ben Gurion* fuit vir summâ auctoritate praeditus huius organizationis zionisticae, quae illo

¹ theod. „Ich bin für Zwangsumsiedlung; darin sehe ich nichts Unmoralisches.“

tempore commoda Iudaeorum admigratorum in Palaestinâ viventium coram mundi nationibus tuebatur.

Illo die – circiter 15 mensibus ante Belli Mundani Alterius eruptionem – iam clarê apparuit Palaestinam potestati Britanniae obnoxiam factum iri causam conflictuum continuam, nam Iudaei ex Europâ venientes fuerunt zionistae – i.e. iudaeici nationalistae – qui in terrâ quam Arabes incolebant condere voluerunt rem publicam Iudaeorum nationalem. Quo consilio capto iidem, ut erant minoritas quae admigraverat - inevitabiliter animos offenderunt incolarum Palaestinae, qui erant maioritas longê numerosior.

Ista condicio periculosa exorta erat eo quod Imperium Britannicum inter annos 1922 et 1938 permiserat, ut sub suâ tutelâ militari contra voluntatem Arabum admigrarent perquam multi coloni zionistae in Palaestinam. Eo ipso Britannia adiumentum zionistarum ad Iudaeorum Europaeorum „*Sedem nationalem*“ in Palaestinâ condendam, quod in *Declaratione Balfourianâ a.1917* erat promissum, ad effectum adduxit.

Communitas zionistarum continuo crescens iam ex initio procedebat ratione et consilio neque umquam aberrans a fine rei publicae Iudaeorum nationalis condendae – idque cum successu prospero. Nam Arabes Palaestinae admigratoribus europaeis eruditis ratione socioculturali longê inferiores erant. Britanni hoc non ignoraverunt, - omnia facta sunt iisdem aspectantibus et comprobantibus.

Cum facta illius temporis tractat, *Ilanus Pappê* Israelianus historicus verba affert *Davidis Ben Gurion* de translatione Arabum incolarum Palaestinae coacticiâ, quae ille fecerat decem annis antequam res publica Israeliae condita est.

Praeterea lector praefationem legens discit fuisse **CONSILIUM D** – quale dicebatur - quod fuit fundamentum expulsionis Palaestinatorum collectivae et in urbe *Telaviv* in **DOMO RUBRA** decretum est.

„*In hōc aedificio d.10. m.Mart. a.1948, frigido tempore postmeridiano diei Mercurii, undecim viri consederunt – veterani duces zionistae et iuvenes Iudaei officarii - et ultimam manum imposuerunt Consilio purgationis Palaestinae ethnicae. Vespere eiusdem diei singulis gregibus militaribus localibus mandatum est, ut praepararent expulsionem Palaestinatorum ex partibus terrae longinquis systematicam. Mandatis singillatim praescriptae sunt methodi evacuationis coacticiae: ut vici regionesque inhabitatae terrerentur, obsiderentur, telis inicerentur, ut domûs comburerentur totae, omni possessione inclusâ, ut incolas expellerent, parietinas subruerent, denique ut parietinis infoderent minas displosivas, ne incolae expulsi umquam reverterentur. Omnis grex militaris accepit indicem vicorum et tribuum urbanarum, quae secundum hoc Consilium erant delendae. Cuius Consilii nomen cum litterâ D coniunctum erat, quia erat versio quarta et definitiva consiliorum, quibus zionistae praedestinaverant fatum Palaestinae eiusque incolis. Consiliis tribus prioribus vagâ tantum ratione descriptum erat, quomodo duces zionistae acturi essent cum tot Palaestinatorum abundantia in terrâ, quam Motio Iudaeorum Nationalis cuperet a se possidendam. At*

*ista versio Consilii quarta et ultima clarê atque distinctê elocuta est: **Necessarium esse, ut Palaestini expellerentur.***“

Ilan Pappé libro suo multis fontibus historicis nixus demonstrare vult Consilium D unâ ex parte necessario effectum esse studio ideologiâ confirmato, quo inducti zionistae nullos incolas Palaestinae paterentur nisi Iudaeos. Alterâ ex parte auctor putat Consilium D captum esse, quia gubernatio Britannica decreverat, ut Mandatum Palaestinae finiretur.

Collisiones cum militiis Palaestinis factae ab *Ilano Pappé* dicuntur zionistis praetextui perfecto fuisse visionis ideologicae Palaestinae ethnicê purgatae ad effectum ducendae. Zionistae primo studuerunt ulcisci impetûs a Palaestinis m.Febr. a.1947 factos, sed postea m.Mart. a.1948 consilium ceperunt totius terrae ethnicê purgandae.

„Re decretâ mandatum exsecuti sunt spatio sex mensium. Re transactâ plus dimidia pars incolarum originalium Palaestinae, ferê 800.000 hominum, radicibus orbatî, 531 vici deleti et undecim tribus urbium hominibus privatae.

Consilium d.10. m.Mart. decretum et imprimis eiusdem ad effectum adductio systematica, quae facta est mensibus sequentibus, procul dubio fuit casus PURGATIONIS ETHNICAE, qualis secundum ius gentium hodiernum est SCELUS CONTRA HUMANITATEM.

*Post Holocaustum paene impossibile factum est occultare scelera contra humanitatem commissa. Mundus noster modernus communicatione nixus, praesertim cum inventa sint publicamina² electronica, non iam permittit, ut catastrophae culpâ hominum effectae occultentur aut factae esse negentur. Tamen tale scelus ferê integrum extinctum est ex memoriâ publicâ ubique terrarum: **Expulsio Palaestinatorum a.1948 ab Israeliâ facta.***

Ista calamitas, quae maximê valet ad historiam Palaestinae modernam, ex tempore, quo facta est, systematicê denegatur neque usque tempus hodiernum recognoscitur veritas historica, ne dicam scelus, cui oportet respondeatur ratione politicâ atque morali.“

*Ilan Pappé historicus Israelianus statuit, ut contribueret ad veram istius calamitatis historiam patefaciendam. Qui hîc opere scripto contradicit descriptioni illius anni 1948 Israeliae officiali, quâ – ut *Ilanus* scribit – res factae historicae omnibus modis occultentur atque detorqueantur.*

„Fabellâ puerili, quam invenerant historici Israeliani, narrabatur de magnâ ‚translatione voluntariâ‘ aliquot centum milium Palaestinatorum, qui decrevissent ad tempus quoddam relinquere domos et vicos suos, ut locum concederent copiis Arabum progredientibus, qui voluissent delere rem publicam Iudaeorum iuvenilem.“

² *pūblicāmen, -inis n. Medium; *pūblicāmina digitālia, *ēlectronica, *typographica digitale, elektronische Medien, Printmedien.

Auctor autem nobis affirmat reverâ fontibus Palaestinis procul dubio demonstrari iam nonnullis mensibus ante invasionem copiarum Arabicarum in Palaestinam, tempore, quo adhuc Britanni tuiti erant terrae ius et ordinem, copiis Iudaicis contigisse, ut quartam ferê partem milionis Palaestinatorum coactê expellerent.

Ilano persuasum est et ratione historicâ et politicâ necessarium esse, ut depingeretur imago rerum in Palaestinâ factarum integra et completa. Ideo inevitabiliter includendi sunt fontes arabici necnon historia ore tradita.

Ilanus scribit nullam aliam viam nobis patêre, quâ radices praesentis conflictûs israeliano-palaestini intelligamus omnes et totas.

Praeterea nos esse moralitate obligatos ad pugnam contra istorum scelerum negationem continuandam, quia historia quamvis iam patefacta tamen nondum satis fortiter valuerit ad Israelianorum conscientiam moralem rationemque agendi publicam.

Ilanus historicus *explicitê* id studet, ut indaget mecanismos purgationis ethnicae a.1948 factae. Sed etiam vult cognoscere systema cognitivum, quo fieri potuit, ut et mundus et delictores scelera a.1948 a zionistis commissa aut obliviscerentur aut negarent.

Quare auctor librum hîc modo scripserit, ipse explanat verbis emphaticis:

„Nonnulli lectori fortasse hic modus ad thema accedendi – quo paradigma purgationis ethnicae adhibeam fundamentum descriptionis rerum a.1948 factarum – iam ex ansâ sermonis videatur esse accusatio. Nonnullis rationibus profecto hic liber est meum „J'ACCUSE!“ proprium erga illos politicos, qui praedisposuerunt purgationem ethnicam, et erga praefectos generales, qui eandem exsecuti sunt.

At cum illorum nomina affero, hoc non facio, quia eosdem post obitum sui in ius vocare velim, sed ut attribuam et delictoribus et victimis conspectum personalem: Nam impedire velim, ne culpa scelerum, quae Israelia commisit, convertatur ad factores difficiles comprehensu, quales sint ‚circumstantiae‘, ‚exercitus Israeliae‘ similesque inculpationes vagae et indistinctae, quibus res publicae superanae a responsalitate liberentur et individua evadant impunes. Accuso quidem, sed sum etiam particeps eius societatis, quae hîc in libro condemnatur. Sentio me esse et responsabilem et participem huius historiae, necnon ita ut aliis hominibus meae societatis participibus persuasum est – ut patet ex libri fine – iter tam dolorosum in res praeteritas factum esse unicum iter porro faciendum, si velimus nobis omnibus, et Palaestinis et Israelianis, futura facere meliora. De hac re agitur in libro meo.“

Qui conflictum Orientis Propinqui gravissimum melius intelligere voluerit, is oportet legat hunc librum *Ilani Pappé* magnâ cum inflammatione animi scriptum.

Haec hactenus scripsit *Marcellus Pott* de libro *Ilani Pappé*, c.t.: „Die ethnische Säuberung Palästinas“, qui editus est in domo editoriâ *Zweitausendeins, Francofurti ad Moenum* a.2007, et constat 19,90 (undeviginti – virgula - nonaginta) euronibus.

<https://www.deutschlandfunk.de/angriff-auf-ein-wehrloses-ziel-100.html>

IMPETUM FIERI IN HOMINES INERMES




NORMAN G. FINKELSTEIN (*1953)

„*Si ego essem incola Gazae, me adiungerem Hamasianis!*“ Hoc ex invasione Gazae Israelianâ concludit **Normanus G. Finkelstein**.

Scripsit **Helge Butkerei** d.30. m.Maii a.2011, Latinê reddidit **Leo Latinus**.

Normanus Finkelstein a criticis opera sua recensentibus iam compluries reprobatus est, quod iudicaret ratione *antisemitismi*. Omnis lector sive conscius sive nescius iterum iterumque ex se ipso quaerit, num novus liber Finkelsteinianus de invasione Gazae duobus annis ante factâ scriptus sit antisemiticus. At talis non est, neque ullus liber alius *Normani* redolet talem ideologiam. De singulis iudiciis *Finkelsteinii* licet probê litigare, quae acerbitate suâ interdum modum excedunt. Problema autem subest aliud. Ut utamur verbis *Finkelsteinii* ipsius:

Simulabatur Iudaeos post miseriam singularem, quae iisdem in Bello Mundano Altero acciderat, non iam debere iudicari secundum mensuras morales iuridicasque solitas, omnique reprobationi rationis Israelianorum politicae subesse odium erga Iudaeos, quod iterum iterumque inflammaretur.



E.g. etiam *Moshe Zuckermann* historicus Israelianus vituperat, quod gubernatio Israelianâ utatur opprobrio *antisemitismi* telo artis polemicae.

Cum *critica Israeliae* aequiperatur *antisemitismo*, profecto vis huius verbi debilitatur. Agitur de re publicâ secundum facinora eius iudicandâ. Eâdem ratione ipsâ iudicandus est liber *Finkelsteinii*.

Îdem studet niti rebus reverâ factis eo quod ad dicta sua demonstranda 170 paginis affert plus 500 indicia atque testimonia. Clarê apparet eum stare a parte victimarum. Primo quaerit, quâ de causâ invasio Gazae facta sit.

In **OPERATIONE PLUMBI FUSI** anno 2008 exeunte, ineunte 2009 factâ interfecti sunt multo plures quam mille Palaestini, quorum maxima pars fuerunt homines civiles. Praeterea exercitus Israeliae destruxit multas domos in Laciniâ Gazeticâ populosissimâ. *Finkelsteinius* putat Israeliam hanc invasionem eo fine fecisse, ut bello Libanensi a.2006 devicta brevi ante suffragia parlamenti m.Febr. a.2009 facienda demonstraret, quanto esset robore militari. Ut hoc patefieret et domi et foris.

Eo quod Israelia decrevit, ut facultatem suam deterrendi restitueret ipsâ in Laciniâ Gazeticâ, patet eandem nationem evitavisse omne periculum belli usitati: Gaza electa

est scopus impetûs faciendi, quia maximâ ex parte erat inermis. *Finkelstein*, qui nititur testibus permultis Israelianis, etiam hominibus gubernationis munerum summorum participibus, iudicat istum impetum Israeliae nullo modo spectavisse ad defensionem sui ipsius. Praeterea:

Ut omittamus indutias ex m.Iunio a.2008 valentes ab Israeliâ fractas esse, sufficit videre, quoties Israelia iura humana violaverit: Si quis ibidem causam habuit m.Dec. exeunte a.2008 arma capiendi, talem causam habuerunt Palaestini.

At non Palaestini, sed Israeliani arma ceperunt. Ex omnibus relationibus organizationum independentium allatis apparet iura humana violata esse passim et vehementer.

Ergo vehementia destructionum scelerata non potest derivari ex fortunae iniuriis aut collapsu catenae imperandi. Ea quae in Laciniâ Gazeticâ facta sunt, facta sunt consulto – a militibus mandata exsequentibus, ab officiariis, qui mandaverunt, et a politicis, qui mandata comprobaverunt.

Etiam relatio missionis Nationum Unitarum, quae a **Richardo Goldstone** iudice austro-africano allata est, a *Finkelsteinio* adhibetur ad hanc sententiam ferendam. Interim ipse *Goldstoneus* in dubium vocavit relationem ab Israelianis valdê vituperatam, quia nova facta sibi innotuissent. At istud *Finkelsteinio* non persuasum est. Cum eius liber ante hanc *Goldstonei* revocationem publicatus esset, *Finkelsteinius* ipse nuperrimê in symbolâ sententiam suam explicavit, quae primo edita est in Civitatibus Unitis. Îdem auctor in hac symbolâ informationibus *Goldstonii* putativê novis disquisitis concludit duabus quaestionibus:

Scimusne nunc demonstrationes scelerum bellicorum, quae in relatione Goldstonianâ et aliquot milibus paginarum aliarum relationum organisationum, qui iura humana defendunt, enumerantur, prorsus falsas esse quia Israelia hoc contendat? „Scimusne“ item Israeliam impetum in Gazam facientem nullis bombis phosphoricis usam esse, quia hoc negavit compluries?

Profecto unicae informationes novae, ad quas *Goldstoneus* se refert, excerptae sunt ex fontibus israelianis, qui maximis ex partibus non possunt probari.

Ceteri participes missionis Nationum Unitarum, quae a *Goldstoneo* ducta est, nullam vident causam, quâ a relatione mense Septembri a.2009 publicatâ se avertant.

Finkelsteinius putat *Goldstoneum* accusatorem quondam principem Fori Poenalis Internationalis prioris *Iugoslaviae* et *Ruandae* a sententiâ suâ imprimis recessisse, quia acerrimê vituperatus sit ab Israeliâ. *Goldstoneus* enim ipse Iudaeus est, adiutor Israeliae seque ipsum appellat zionistam. *Finkelsteinius* argumentatur talem adversarium gubernationi Israelianae perquam periculosum esse, nam necessario indicia a tali homine proposita esse vera.

Ergo haud mirum est gubernationem Hierosolymitanam sibi videri confirmatam esse post recessum *Goldstonei*, quem ab ipsâ perseveranter urgente effectum esse

verisimile est. *Finkelsteinius* nunc timet, ne fiat impetus renovatus immisericors in homines Gazenses. Dilatum in tempus diuturnum esse videtur id quod auctor in libro suo expressit his verbis quae sequuntur:

Victoria, cui studemus pariendae, est inclusiva, non exclusiva; quae nemini nocebit. Hic nihil expugnetur, nemo superetur. Nemo perdet, sed omnes vincent, si unâ pugnaverimus pro veritate atque iustitiâ.

Denuo libro *Finkelsteinii* perlecto apparet, quantum valeat pax. Quod auctor patefacit descriptione passionum, quam lector, cui numquam parcat, saepe aegrê tantum patitur. Quae cum ita sint, hic liber *Finkelsteinianus* multum valet ad disputationes, praesertim post verba *Richardi Goldstonei* recentissima.

Norman G. Finkelstein: „**Israels Intervention in Gaza**“. Hic liber editus est in Aedibus, q.d. Nautilus, 224 pp., constat 18 euronibus.

<https://www.aa.com.tr/en/europe/-not-in-my-name-jews-in-uk-take-a-stand-against-israel-s-gaza-assault/3063568>

***'Ne fiat in nomine meo':* Iudaei in Britannia reclamant impetui Israeliae in Gazam facto**

Multi Iudaei organisationibus cuniti *'oderunt ea quae nunc fiunt Gazae'* et vestigia huius problematis persequuntur usque ad a.1948, quo Israelia *'condita est furto violento et phyletistico,'* ut ait *David Cannon*, praeses *Retificii Iudaeici Palaestinae fovendae*.

d.24. m.Nov. a.2023 scripsit *Burak Bir*, Latinê reddidit *Leo Latinus*



LONDINIO EX URBE

Per multas mundi terras permulti homines furiosê reclamaverunt impetui Israeliae in *Laciniam Gazeticam* facto, miliones hominum in viis actiones postulaverunt a gubernationibus suis propriis et a communitate internationali.

Eadem facta sunt in Regno Unito, ubi manifestaverunt milia hominum.

Talis reclamatio recentior organizata erat in Britannia, quae fortiter adversatur caedi, quae fit ab Israelianis, et eorum nuntius est dilucidus: „*Istud ne fiat in nomine meo.*“

Naomi(a) Wimborne-Idrissi, co-fundatrix Vocis Iudaicae Partis Socialisticae (JVL) ab *Anadolu (Agentura Nuntiorum Turcica)* de reclamationibus rogata: “Nostrâ sententiâ“ inquit „multum valet desistere a narratione officiali in mediis diurnariis (i.e. publicaminibus) latê patens, quâ contenditur omnes Iudaeos assentire iis, quae Israelia faciat contra Palaestinos”.

“Videmus gubernationem Israeliae alae valdê dextrae, quae exsequitur purgationem ethnicam et genocidium contra populationem captivam. Et multis, multis Iudaeis istud videtur esse prorsus reprobabile.”

Haec mulier dixit esse multos alios Iudaeos, qui *terreantur* modo, quo diurnarii manifestationes pro-palaestinas verbis depingerent esse minas, quae gererentur contra Iudaeos.

Naomia: “Itaque“ inquit, „volumus vocem dare iis Iudaeis, qui nolint associari cum rebus, quas facit gubernatio Israeliae“.

David Cannon, praesidens *Retificii Iudaici Palaestinae fovendae*, verbis extulit, quantum valeret praesentia Iudaeorum inter reclamationes pro-palaestinas.

Qui dixit multos Iudaeicos homines et organisationes „odisse ea quae (in Israeliâ) fierent et problema reducere ad annum 1948, quo Israelia fundata esset furto violento et phyletistico.“

“Aliquot centum vici Palaestinatorum sunt destructi, aliquot milia Palaestinatorum innocentium virorum, mulierum, infantium sunt trucidata. 750,000 Palaestinatorum profugorum sunt facta, qui aufugerunt ex patriâ, negotiis, domibus suis. Hoc est id quo Israelia est condita.“

“Et hoc semper fuit problema ex illo tempore. Quod appellatur **Nakba**, calamitas Palaestinatorum summa, et ista continuata est his 75 annis. Ista calamitas quam nunc habemus nihil est nisi varietas illius, et debemus eandem finire et problema solvere.“
Davidi persuasum est manifestum esse “*pacem non factum iri sine iustitiâ.*”

Îdem vir accusans gubernationem Britannicam esse partem problematis inde ex ipso initio dixit Regnum Unitum esse “*complex eorum, quae nunc fierent*“ et adiuvasse Israeliae violentiam. “Itaque debemus surgere et istud sistere. Fiat una res publica democratica, a flumine (sc. Iordane) usque ad mare (sc. Mare Internum).“

‘Istud est bellum contra Palaestinos, non contra Hamasianos’

Antonius Booth, membrum Commissionis Vocis Iudaicae Partis Socialisticae (JVL), postulavit “*ut gubernatio et oppositio desinerent complices esse homines Gazenses trucidandi et expellendi, ut desinerent esse complices scelerum bellicorum.*”

Israelianorum impetibus interfecti sunt nunc plus 14,800 Palaestinatorum in Laciniâ Gazeticâ versantium, plus 10.000 mulierum infantiumque inclusis, vulnerati sunt 36,000. Aliquot centum milia Palaestinatorum sunt e sede suâ expulsi, quia bombis Israelianis afflicta aut destructa sunt plus 250,000 domûs et aedificia in hęc territorio Palaestinatorum incluso, quod obsidetur. Praeterea obseratione Israelianâ Gazenses privantur materiâ propulsoriâ, electricitate, aquae suppeditatione; importationes auxiliares sunt maximê deminutae. Ex officio indicantur circiter mille ducenti Israeliani esse mortui.

Antonius verbis extulit nullam unquam factum iri solutionem problematis Palaestino-Israeliani nisi politicam, quae non fieret nisi disceptationibus.

Antonius: *“In praesenti“* inquit, *„progredimur in directionem contrariam, i.e. ad expulsionem Palaestinatorum ex Laciniâ Gazeticâ, quae non evadet bene.“*

„Hoc est bellum contra Palaestinos. Magna fit praeconatio politica, ut simuletur bellum geri inter Israeliam et Hamasianos. Sed reverâ est bellum territorii accipiendi contra Palaestinos.“

Admonens Israeliam attribuisse permissiones divitias gasi ante lîtus Gazae expilandi, Antonius dixit hanc rem esse partem istius facinoris *„agripetarum“*.

Israeliam ‘rumpere legem internationalem’ ex 75 annis

Dionysius McEldownay, particeps Commissionis Israelianae contra demolitiones domorum (ICAHD), i.e. grex qui reclamat Israeliae occupationi domorum et territoriorum Palaestinatorum, dixit se *“condemnare omnia homicidia, sive committuntur ab Hamasianis an Israeliâ an Civitatibus Unitis an alio.”*

Dionysius: *“Neque Israelia“* inquit, *„neque Civitates Unitae sunt membra Fori Criminalis Internationalis, sed Israelia culpam contrahit ex 75 annis, quibus rupit legem internationalem”*. Dionysius dixit se fovere *“ideam unius Palaestinae rei publicae democraticae, quae est res publica omnium incolarum Israeliae, ubi esse possunt aequalitas et libertas unius cuiusque”*.

Iohanna, reclamatrix, quae mavult tantummodo indicare praenomen suum, dixit se prorsus adiuvare populum Palaestinum, qui expositus sit *„bombationi inhumanissimae.”* - Iohanna addidit: *“Spero aliquando in Israeliâ factum iri solutionem pacificam ita, ut unusquisque in illâ parte mundi vivere possit humanê, aequaliter, pacificê”*.- Iohanna verbis extulit se optare, ut videret homines inter se colloqui et unum alterius misereat et videret commoda et emolumenta operae communis et convictûs pacifici.

Iohannes Keidan, qui se ipsum describit Iudaeum superbum, verbis extulit actiones gubernationis Israelianae fieri *“non in nomine nostro.”*- Iohannes dixit multos homines civiles, et Israelianos et Palaestinos, esse interfectos, sed monuit impetûs Israelianorum esse *„asymmetricos et debere finiri“*.

Iohannes: *„Biblia“* inquit, *„Biblia Iudaica et Christiana, dicit dandum esse oculum pro oculo, dentem pro dente. At in praesenti gubernatio Israeliae pro uno dente sumit quinque, decem aut viginti dentes.“*

Iohannes dixit expulsionem aliquot centum milium hominum in partem Lacinae Gazeticae australem esse *Lêgi Internationali* contrariam.

Iohannes addidit: *“Palaestinis praestat non relinquere territorium, i.e. Laciniam Gazeticam, quia iisdem numquam permittetur, ut redeant.”*

**SYMBOLAM
EPHEMERIDIS TURCICAE
C.T. *ANADOLU*,
QUA REFERTUR
DE IUDAEIS
QUI LONDINII RECLAMANT
IMPETUI AB ISRAELIA
IN LACINIAM GAZETICAM FACTO
SCRIPSIT
BURAK BIR,
LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS**

IUDAEIS DUCIBUS ACTIVISTAE PACIS POSTULANT UT IN GAZA FIANT INDUTIAE

<https://www.reuters.com/world/middle-east/jewish-led-peace-activists-protest-statue-liberty-demand-gaza-ceasefire-2023-11-07/>



d.7. m.Nov. a.2023 h.01:44 AM **Rettulit Steve Gorman Angelopolitanus, Latinê reddidit Leo Latinus**

NEO-EBORACI ex urbe, d.6.Nov. - Aliquot centum reclamatores, quorum multi sunt participes gregis, q.d. Iudaica Vox Pacis, sessionem habuerunt ante Statuam Libertatis Neo-Eboracensem, postulantes indutias belli Israelo-Hamasiani, quod fit in Laciniâ Gazeticâ.

In quodam scopocinemate publicaminum socialium, cui inclusa sunt cinemata a grege ipso irretita, apparent catervae activistarum prope basin *Statuae Libertatis* sedentium et cantantium: „*Never again for anyone, never again is now*” (i.e. Ne umquam iterum sc. fiat *Holocaustum* cuicumque sc. *genti*, „ne umquam iterum!” valet nunc).

Alii steterunt in *Statuae* basi vexilla lata obtendentes, quibus inscriptum erat: “*Ceasefire Now!*” (i.e. *Indutiae* fiant nunc!) et “*The Whole World is Watching*” (i.e. *Totus mundus aspectat* sc. *genocidium Gazense*).

Îdem grex, qui his septimanis similes manifestationes habuerat in *Magno Terminali Centrali Manhattanensi* et apud *Aedificium Graphei Domûs Cannonianae* in *Colle Capitolino Vassintoniensi* situm, dixit huius manifestationis participes fuisse 500 homines. Haec organizatio, quae a Iudaeis ducitur, rationem *Israeliae* politicam habet pro genere *diacrisis phyleticae*¹.

1 **diacrisis *phylētica* i.q. *apartheid*. cfr ngr *φωλητική διάκρισις*



"*Ut ipsi Palaestini, ita multi maiorum nostri desideraverunt se spirare liberê*" („*yearned to breathe free*“) grex scripsit friguttiens (*X sive antea twitter*), afferens verba cuiusdam soneti ab *Emmâ Lazaro* saeculo undevicesimo compositi, quod inscriptum est tabulae aeneae basi Statuae Libertatis affixae.

Neque ab organizatoribus neque a biocolytis, qui Insulam custodiunt, aliquid dictum est de ullâ arrestatione manifestatorum. Reclamatio facta est, cum magistratûs valetudinarii Gazenses, qui ab Hamasianis diriguntur, dixissent numerum mortium in Laciniâ Gazeticâ factarum superasse 10.000 inclusis 4000 infantibus. Cum multis in terris homines iterum iterumque postulent, ut sistantur hostilitates in utrâque parte huius conflictûs, **Antonius Guterres** Secretarius Generalis *Nationum Unitarum* dixit terrorium obstructum (sc. Laciniam Gazeticam) esse *sepulchretum infantium*.



Recentissima caedes atque strages Arabo-Israeliana incohata est d.7. m.Oct. in Israeliâ australi subito impetu trans limitem a pugnantibus Hamasianis ab Iraniâ adiutis facto, qui circiter 1400 homines, plerosque civiles, interfecerunt et plus 240 abduxerunt obsides. Ut ulciscerentur facinus Hamasianorum, milites Israeliani bombas in Gazam iniecerunt frequentiâ atque vehementiâ inexauditâ, necnon

impetum fecerunt in Laciniam Gazeticam litoralem et populosam. Et Israel et Hamasiani Gazenses recusaverunt rogationes indutias faciendi.



EMMA LAZARUS (1849-1887)

NEW COLOSSUS

Not like the brazen giant of Greek fame,
With conquering limbs astride from land to land;
Here at our sea-washed, sunset gates shall stand
A mighty woman with a torch, whose flame
Is the imprisoned lightning, and her name
Mother of Exiles. From her beacon-hand
Glow world-wide welcome; her mild eyes command
The air-bridged harbor that twin cities frame.

"Keep, ancient lands, your storied pomp!" cries she
With silent lips. "Give me your tired, your poor,
Your huddled masses **yearning to breathe free**,
The wretched refuse of your teeming shore.
Send these, the homeless, tempest-tost to me,
I lift my lamp beside the golden door!"

**DE MANIFESTATIONE IUDAEORUM NEO-EBORACENSI QUA POSTULATUR, UT IN
LACINIA GAZETICA FIANT INDUTIAE RETTULIT STEPHANUS GORMAN
ANGELOPOLITANUS
RELATIONEM LATINE REDDIDIT LEO LATINUS**

<https://www.cbc.ca/news/world/protesters-us-capitol-1.7013762>

Bideniani in audicione publicâ, quae fit in Colle Capitolino, inclamantur ab activistis pacis Iudaeis

Reclamatio et postulatio indutiarum Gazensium fiunt, cum augeantur pericula Iudaeis et Muslimis Americanis imminetia. d.31. m.Oct. a.2023 h.12:08 PM



Oratio Blinkenii interrupta est ab activistis indutiarum Gazensium postulatoribus

Grex reclamatorum indutias Gazenses postulantium interruptit sermonem Antonii Blinkenii, cum appareret inter Senatûs conventum.

Die Martis in audicione Congressûs duo consultores **Iosephi Bidenii** eminentes rogabant legatos Americanos, ut providerent Israeliae complures miliardas dolariorum, cum iterum iterumque reclamatores auditionem interrompebant accusantes officiales Americanos foventes „*genocidium*“, quod fieret in Laciniâ Gazeticâ in Palaestinos.

Antonius Blinken, Minister Rerum Externarum et **Lloyd Austin** Minister Defensionis Commissioni Senatûs pecuniae concedendae rettulerunt **Bidenium** egere 106 miliardis dolariorum, quibus consilia ambitiosa Ucrainae et Israeliae et securitatis limitis Americani ad effectum adducerentur.

Auditione ineunte ordo reclamatorum manûs suas rubro colore oblitas sustulerunt, ut publicê condemnarent bellum Gazense. Biocolytae Capitolini postea reclamatores ex oeco auditionis abduxerunt, cum iidem clamassent: „**Indutiae fiant nunc!**“ et „**Protegitte infantes Gazenses!**“ Alii manifestatores, qui manserunt quieti, sustulerunt manûs coloratas, quae videbantur esse sanguine oblita. Magistratûs Palaestini dicunt Israelianorum „*obsidione totali*“ Lacinae Gazeticae interfectos esse plus 8.300 homines, quorum plus 3.400 infantes, et effectam esse diram egestatem materiae propulsivae, nutrimentorum necnon aquae purae. Unus ex reclamatoribus recitavit numerum infantium Gazae, qui necati essent Israeliae impetibus aeriis et, nuperrimê,

impetu terrestri. Expeditione militari respondetur impetui pugnatorum Hamasianorum d.7. m.Oct. trans limitem facto, quo mortui erant 1.400 homines, plerosque civiles. Mortuorum aliquot decuriae fuerant cives Americani.

Sermonem initialem cum concluderet, *Blinkenius*: „Audio...“ inquit, „vehementer animorum commotiones intra et extra hunc oecum expressos. Nos omnes obligati sumus ad homines civiles protegendos“.

Numerum casuum antisemiticorum esse exauctum

Austinus dixit Israeliam esse „*morali responsabilitate et imperativo disciplinae militaris*“ obligatam, ut numerum mortium civilium quantum posset deminueret in Laciniâ Gazeticâ et Cisiordaniâ, ubi nonnulli coloni Israeliani impetum fecissent in Palaestinos. *Bidenius* argumentatus adiuuationem sociorum maximê valere ad securitatem nationis, rogavit ut 14,3 miliardae dolariorum darentur pro Israeliâ et 9 miliardae pro beneficiis humanitariis – Israeliâ Gazâque inclusis.

Bidenius rogavit ut darentur 61,4 miliardae pro Ucrainâ, quarum dimidia pars erogarentur in Civitatibus Unitis, ut replerentur horrea armorum, quae vacuefacta essent prioribus adiumentis Chioviam missis, et 13,6 miliardae pro securitate limitis nationalis et 4 miliardae pro adiumento militari et sumptibus, quibus gubernatio adversaretur studiis Chinae regionalibus in Asiâ factis.

Auxilium *Bidenii* Israeliae allatum, quod iam complectitur 3,8 miliardas auxilii adiumenti militaris, vituperatum est propter reclamaciones internationales, quibus postuletur, ut Gazenses civiles protegantur. Ex reclamationibus inter auditionem commissionis factis apparent simultates exauctae, quae exortae sunt in Civitatibus Unitis ex d.7. m.Oct. Post manifestationem sessoriam in Colle Capitolino d.19. m.Oct. factam et a grege Iudaeorum activistarum ductam, qui postulaverunt indutias in Gazâ faciendas, relatum est 300 homines esse a biocolytis comprehensos.

Cum *Blinkenius* et *Austinus* referrent, *Christophorus Wray* Director Graphei Foederalis Investigationis (FBI) et *Alexander Mayorkas* Secretarius Securitatis Patriae in alterâ audicione congressionali separatâ rettulerunt, quae pericula in praesenti imminerent Civitatibus Unitis. Ambo dixerunt odium erga Iudaeos alumnos academicos Americanenses, quod secutum esset conflictum Israelo-Palaestinum Gazensem, auxisse antisemitismum. ***Christophorus Wray*** dixit impetu Hamasianorum „*periculum impetuum Americanensium exauctum esse tantopere, quantopere ex tempore ipsius ISIS decennio praeterito exorientis non iam esset factum*“. Îdem Graphei Foederalis Investigationis praepositus dixit se sollicitari, ne singuli homines aut parvi greges intra limites Civitatum Unitarum impetûs facerent.

Christophorus: „Nunc“ inquit, „non est tempus timoris panici, sed tempus vigilantiae“. ***Alexander*** autem: „Odium“ inquit, „erga Iudaicos studentes, communitates, institutiones accessit ad antisemitismum in Civitatibus Unitis et ubique terrarum iam antea exauctum.“

Officiales gubernationis Civitatum Unitarum die Lunae convenerunt duces Iudaeorum Americanorum. ***Domus Alba*** die Lunae dixit se suscepisse impugnandum

„*incrementum sollicitans*“ casuum antisemiticorum in scholis atque collegiis factorum et studere persecutioni poenali in campis academicis servandae.

Grex activistarum Iudaicus, q.d. ***Liga Anti-diffamationis***, septimanâ praeteritâ rettulit duabus septimanis post impetum diei 7.m.Oct. numerum casuum antisemiticorum cum eodem spatio anni praeteriti comparatum quadringentis partibus centesimis (400%) exauctum esse.

Grapheum *Senatricis Iacobae (Jacky) Rosen*, democratissae, die Martis confirmavit eandem minas accepisse a quodam viro *Urbis Camporum (Las Vegas)*. ***Iohannes Miller***, 43 annos natus, dicitur inter d.11. et 19. m.Oct. misisse seriem nuntiorum ad *Iacobae* grapheum, in quibus eam vocaverit „*subhumanam*“ et iuraverit se „*finiturum id quod Hitler incohavisset*“. Îdem *Iohannes* accusatus est minarum officiali foederali dictarum et causam dicturus est d.13. m.Nov.

Gregem muslimo-americanum praeparare reclamationem

Interim Muslimi Americani et quidam activistae Factionis Democraticae dixerunt se studere velle milionibus Muslimorum electorum, qui recusaturi essent et donationes et vota *Bidenii* a.2024 iterum eligendi, nisi îdem statim operam daturus esset, ut fierent indutiae Gazenses.

Concilium Muslimorum Nationale, quod includit duces Factionis Democraticae civitatum foederalium, in quibus cum competitio factionum fiat acerrima, verisimile est decertatum iri suffragia praesidentis, admonuit *Bidenium*, ut, quantum valeret ad Israeliam, studeret assequi indutias Gazenses usque ad diem Martis, horam quintam p.m. temporis orientalis (ET).

Duces Muslimorum epistolâ apertâ, c.t. „***A.2023 Ultimatum Indutiarum***“ polliciti sunt se commoturos esse electores Muslimos, *ut recusarent, ne darent adiumentum et auxilium et vota cuicumque candidato, qui foveret impetum ab Israeliâ in populum Palaestinorum factum.*“

Muslimi Americani Civitatis *Minnesotae*, quam *Bidenius* die Mercurii est visitaturus, septimanâ praeteritâ annuntiaverunt se obtulisse simile Ultimatum Indutiarum die Martis servandum. Qui dixerunt se praeparare reclamationem die Mercurii faciendam, quando Praeses visitaturus esset civitatem suam.

Christophorus Wray adnotavit ***Grapheum Foederale Investigationis*** (FBI) etiam paratum esse ad repellendos impetûs islamophobicos commemorans quandam investigationem sceleris odio effecti foederalem, quae fieret postquam puero Palaestino-Americano interfecto quidam vir Illinoisiensis accusatus est homicidii.

DE RECLAMATIONE BELLII GAZENSIS

ET

**POSTULATIONE INDUTIARUM
IN COLLE CAPITOLINO FACTIS
RETTULIT CBC**

(Canadian Broadcasting Corporation)
**RELATIONEM LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS**

<https://www.sueddeutsche.de/politik/israel-sanktionen-gazastreifen-1.6300487>

BELGIUM POSTULARE UT ISRAELIA PUNIATUR SANCTIONIBUS



PETRA DE SUTTER (*1963)
Belgii Vice-Praesidissa ministerialis

d.08. m.Nov. a.2023, h.16:49

Petra De Sutter Belgii Vice-Praesidissa Ministerialis adhortatur gubernationem Belgicam, ut Israeliam puniat sanctionibus.

Petra de Sutter Belgii Vice-Praesidissa Ministerialis adhortatur gubernationem Belgicam, ut Israeliam puniat sanctionibus et perquirat bombationem nosocomiorum atque receptaculorum profugis recipiendis Gazensium. Petra ab ephemeride, q.d. Nieuwsblad (i.e. Folium Nuntiorum) rogata: »Tempus est« inquit, »Israeliam punire sanctionibus. Grando bombarum est inhumana«.

Manifestum esse Israeliam non curare postulationes indutiarum. Unionem Europaeam debere interrumpere *Conventum Associationis*. Prohibendum esse, ne in Unionem Europaeam iter facerent coloni violenti et politici et milites, qui essent responsables scelerum bellicorum.

Praeterea a Belgio plus dandum esse pecuniae *Foro Iustitiae Internationali*, ut perquirerentur bombationes, cum simul deminuerentur pecuniae Hamasianis dandae. „Ista est organisatio tromocratica. Tromocratia constat pecuniâ, itaque istae negotiationes istique homines sunt sanctionibus puniendi, qui Hamasianis dent pecuniam.”

**BELGIUM POSTULARE UT ISRAELIA
PUNIATUR SANCTIONIBUS
RETTULIT EPHEMERIS AUSTRGERMANICA
LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS**

<https://www.ynetnews.com/article/sj11ebbg4a>

‘Praeconatio Israeliae politica’: Belgicum parlamentum recusat ne aspectet scopocinema atrocitatum Hamasianorum



IDIT ROZENZWEIG ABU

Ambasciatricis Israeliae
Belgiensis et Luxemburgensis



STEPHANIE D'HOSE

Praesidissa Senatûs Belgici

Rogatio ambasciatricis Israeliae est denegata eâ causâ allatâ, quâ esset conatus ,scelera bellica` fucandi.

*Rettulit **Itamar Eichner** Israelianus d.15. m.Nov. a.2023 | h.11:45 Latinê reddidit **Leo Latinus***

*Stephania D'Hose Praesidissa Senatûs Belgici propositum **Idit(ae) Rozenzweig Abu** Ambasciatricis Bruxellensis, ut monstraret scopocinema 47 minutarum, quo exhibentur facinora atrocia ab Hamasianis d.7. m.Oct. commissa, recusavit propter scepticismum a quibusdam factionum ducibus expressum. Cum ambasciatricis conaretur *Commissioni Rerum Externarum Senatûs* ostendere versionem cinematatis constrictam, conatus eius haud ambiguê reiectus est eâ de causâ allatâ, quod cinema esset instrumentum praeconationis¹ Israeliae politicae, quo fucarentur „scelera bellica“.*

***Valterus (Wouter) De Vriendt**, Flandrus et membrum Factionis Prasinorum, coram ambasciatricis Israeliam in crimen vocavit: »Plus 4000 infantium«, inquit, »iam sunt interfecti bombationibus. Quot infantibus etiam moriendum erit, antequam vos istud evitabitis?«. Verbis extulit quosdam politicos Israelienses disputare de purgatione ethnicâ et genocidio.*

¹ praecônatiō sc. politīca i.q. Propaganda; praecônatiō mercātōria i.q. Werbung, Reklame, P.R.



WOUTER DE VRIENDT
 (*1977)
 Flandrus Prasinus

»Interfectio ducis Hamasiani, quâ effecta est mors hominum civilium, est scandalon, imprimis tali nationi, qualis est Israelia. Quae constituit scelera bellica. Vos scopos eligitis scholas, mesqitas necnon cooperatores Nationum Unitarum. Prius credideram nationem democraticam qualis est Israelia tenêre normas altiores. Impetu d.7. m.Oct. facto comprobavi ius Israëliae (sc. se defendendi), sed non iam diutius possum retinere hanc opinionem. Saevitia debet refrenari«.



MANIFESTATIO PRO-PALAESTINIANA BRUXELLENSIS

E contrario **Belgiensis Organizatio Amicorum Israeliae** acriter vituperavit locutorem parlamenti dicens: »Mirum est praesidissas parlamenti anno praeterito sine ullâ difficultate assensisse recipiendae exhibitioni photographematum, quae spectavit ad tromocratiam Palaestinam et facta est praeconationis causâ. Dissimulatio praesidissarum parlamenti est infamis; earum infirmitate anno

praeterito fieri potuit illa contumelia; earum ignaviâ hōc anno victimae sunt irreverenter neglectae.»




MANIFESTATORES PRO-PALAESTINIANI BRUXELLENSES

**DE REPREHENSIONE
SCELERUM ISRAELIAE BELLICORUM
IN PARLAMENTO BELGICO
FACTA
RETTULIT
ITAMAR EICHNER
RELATIONEM
LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS**

BELGII MINISTRAM INCREMENTI VITUPERARE GERMANIAM PROPTER OPINIONEM PRO-ISRAELIANAM



CAROLINA GENNEZ Ministra Incrementi



PARIETINAE GAZENSES

Die Iovis, d.11. m.Ian. a.2024

Ministra senior gubernationis Belgicae vituperavit Germaniae solidaritatem¹ erga Israeliam inter bellum Hamasianum inconcussibiliter² oblatam, cum numerus mortuorum Gazensis in dies vehementer augetur.

Belgium suscepit personam praecipuam gerendam postulans solutiones pacificas conflictûs, quo intra spatium paucarum septimanarum interfecti sunt aliquot milia hominum civilium. Secundum *Conventum Gubernationis Vivaldianum* Belgium fovet Rei Publicae Palaestinae publicam comprobationem. **Carolina Gennez** (membrum factionis sociali-democraticae, q.d., Vooruit“, i.q. „Porro“), Ministra Incrementi Belgica – adiutrix rerum Palaestarum – Germaniam admonuit propter eius opinionem inconcussibiliter pro-israelianam, cum in dies referretur in Germaniâ ex simultatibus mense Octobri exortis censuram fieri augescentem et ab institutis cultûs civilis germanicis suppressi voces pro-palaestinas. *Carolina* a publicamine *Knack* Flandrico rogatus: »Semper« inquit, »admirata eram Germaniae facultatem facinora ipsius bellica retractandi. Effectu huius retractationis Germania particeps fuit incepti Europaei. Itaque difficile est intellectu, quare eadem Germania sibi ipsa concedat ut tantopere faveat gubernationi Israelianae, quae exerceat rationem colonizationis impudentissimam«.

1 +**solidâritâs**, -âtis f. cfr Timotheus Zapelena S. I., *De ecclesia Christi, pars altera, apologetico dogmatica*, editio altera aucta et emendata (Romae: apud aedes Universitatis Gregoriana, 1954), p.534: „**Solidaritas** est facultas humana quae auxilium inter se dare potest. Virtus putatur ex aevo antiquo et Cicero dixit; homines hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se aliis prodesse possint. - [Marcus Tullius Cicero](#) "*De officiis*".“

2 cfr ThLL VII, Pars prior (I – INTERVULSUS) 999,22-28: **inconcussibilis**, -e ...qui concuti non potest, immobilis: ITALA Hebr.12,28...29sq. adv. **inconcussibiliter**. angl. *Germany's unwavering solidarity with Israel*.

Germania in hac re a Belgio dissentit: cum Belgium declararet se studere ut particeps fieret querelae, quâ Israelia in *Foro Iustitiae Internationali Hagensi* accusaretur genocidii, e contrario Germania perrexit Israeliam adiuvare pertinaciâ inconcussibili, quae exorta est legato historico: Nam Germania nacistica in Bello Mundano Altero interfecerat 6 miliones Iudaeorum eo consilio, ut extirparet omnes Iudaeos Europaeos. Sed nonnulli socii Germaniae in dubium vocaverunt auxilium Israeliae ferendum minorem vim attribuentes impetui Hamasianorum tromocratico d.7. m.Oct. facto, quo Holocaustum in memoriam erat revocatum.

Carolina: »Nulla res publica« inquit, *»Unionis Europaeae in dubium vocat ius Israeliae existendi. Sed num oportet nos inertes stare seorsim coram tantâ violentiâ iniquâ contra homines civiles adhibitâ, etiamsi hoc fit ad actum tromocratiae ulciscendum?«*

Quod attinet ad hunc conflictum generaliter considerandum, omnes res publicae Unionis Europaeae comprobant Israeliae ius se defendendae, quantum hoc congruit cum iure internationali et humanitario.

Quamquam Israelia a.2005 ex Laciniâ Gazeticâ recesserat et inde colonias reduxerat, *Carolina* putat Israeliam esse potestatem occupatricem, quae potius Hamasianis se opponit usque ad interitum proprium quam fovet commoda incolarum Gazensium.

Cum a.2006 Hamasiani e suffragiis evasissent victoriosi, Israelia litem obstruxit, ne Hamasiani arma in Laciniam Gazeticam subintroducerent, necnon limes Gazetico-Aegyptius est obstructus.

Carolina: »Hôc in conflictu« inquit, *»nos Belgae cooperantes incrementi causâ eligimus campum victimarum civilium. Hamasiani interfecerunt violenterque abduxerunt aut constupraverunt 1,200 Israelianos. Quae fuit violatio iuris internationalis iurumque bellicorum. Sed Israelia, ut est potestas occupatrix, etiam violavit ius internationale in Cisiordaniâ inque Laciniâ Gazeticâ ex annis. Homines communes semper sunt victimae«.*



ITAMAR BEN-GVIR (*1976) BEZALEL SMOTRICH (*1980)

Germaniam et Belgium dissentire de Israeliae actionibus

Carolina etiam accusat Germaniam, quod eadem Israeliam considerans parum attenta sit non audiens sermonem politicorum partis dexterrimae: *"Tales ministri Israeliani quales sunt Itamar Ben-Gvir (Minister Publicae Securitatis) aut Bezalel Smotrich*

(Minister rerum fiscalium) dicunt se velle Gazenses deportare. Aut in Congum aut in Arabiam Saudianam, non rêfert. Si hoc propositum exsequantur, loquemur de purgatione ethnicâ." Gubernatio Israeliae dicit excitatione a talibus ministris extremis effectâ non repraesentari rationem suam politicam.

Carolina non communicat cum Germaniâ sensum culpae. »Heus amici Germani: Verumne statis in parte historiae falsâ iterum? Num pergamus seorsim stare inertes, si fit purgatio ethnica? Nonne valet illud dictum: „Istud ne umquam fiat iterum“? Itaque spero Germanos inspecturos esse in corda sua profundissima, ne sepeliantur traumatibus suis historicis. Oportet semper conemini transcendere traumata vestra quamvis hoc sit difficillimum«.

His verbis Carolinae auditis **Martinus Kotthaus** ambasciator Germaniae Belgiensis respondit iracundus potius putans illam aliquid comparasse cum Holocausto quam nuntium accipiens solutionis fovendae, quâ finiretur hominum civilium trucidatio.



MARTINUS KOTTHAUS
AMBASCIATOR GERMANIAE
BELGIENSIS

Îdem Germanus ambasciator Belgiensis in publicaminibus socialibus: »Scilicet Germaniam« inquit, »propter Shoah specialiter esse responsabilis pro Israeliae securitate« et addidit: »Nullo modo licet comparare id quod nunc fit cum Shoah«.

Factio autem **Flandricorum Separatarum N-VA**, quae est oppositio, opinatur studia Belgii internationalia paci et indutiis fovendis esse menda gubernationes typica.

Denique **Martinus Kotthaus** ambasciator dixit haec: »Israelia habet ius se defendendae contra tromocratiam Hamasianam. Plus 100 obsides adhuc retinentur. Ruchetae Hamasianae interficiunt. Eodem tempore Israelia debet omnia facere ad incolas civiles protegendos et accommodare aditum suum militare«.

Carolina autem **Gennez Ministra Incrementi** die Mercurii vespere in Televisione Flandricâ criticis respondens: »Conflictu Gazensi« inquit, »animi multimodis excitantur. Itaque saepe difficile est de hac re colloqui tranquillê atque rationaliter. Sed violentia debet refrenari«.

<https://www.brusselstimes.com/871743/belgiums-development-minister-criticises-germany-over-pro-israeli-stance>

**DE OPINIONE GERMANIAE
PRO-ISRAELIANA
A BELGII MINISTRA INCREMENTI
REPREHNSA
RETTULIT
EPHEMERIS
C.T.
TEMPORA BRUXELLENSIA
RELATIONEM
LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS**

<https://www.nachdenkseiten.de/?p=107303>

SUNTNE IN LACINIA GAZETICA QUINQUAGINTA HOMINES IUSTI?



d.27. m.Nov. a2023 h.10:00 scripsit Oskar Lafontaine

Ratio politica corda hominum non assequitur nisi patitur unâ cum victimis *omnibus*. Caedem Hamasianam in Israeliâ factam sequitur caedes Israeliana quae fit in Laciniâ Gazeticâ. Pausa pugnandi et permutatio obsidum, quae nunc sunt pactae, quodammodo sunt virgae argenteae in horizonte humanitatis. At postea perget fieri caedes absurda. Manifestum est rationem pugnandi Israeliae non congrui cum Iure Gentium, necnon Conventiones Genavenses prohibent, ne bellum geratur contra incolas civiles. Sed praevetustum est quaerere, num liceat punire innocentes pro sceleribus aliorum. Iam in Vetere Testamento respondetur. *Scripsit Oskar Lafontaine.*

SOLUTIO QUAE FIT UNA TANTUM SENTENTIA

DEUS cum vellet Sodomam et Gomorrham sōlo adaequare, ut puniret incolas pro peccatis eorum, Abraham ei dixit:

VULGATA Gn 18,22-26

»Numquid perdes iustum cum impio? Si fuerint quinquaginta iusti in civitate, peribunt simul. Et non parces loco propter quinquaginta iustos, si fuerint in eo? Absit a te, ut rem hanc facias et occîdas iustum cum impio fiatque iustus sicut impius. Non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram, nequaquam facies iudicium?» – Dixitque Dominus ad eum: «Si invenero Sodomis quinquaginta iustos in medio civitatis, dimittam omni loco propter eos.»

Non licet punire iustos, ut puniantur impii! Hoc praeceptum Veteris Testamenti etiam continuatione narrationis biblicae nullo modo mutatur: Sodoma et Gomorrha denique tamen destructae sunt, cum **Lot iustus** unâ cum familiâ suâ urbem reliquisset. **Omri Boehm**, philosophus Neo-Eboracensis, scribit eo quod Abrahamus hîc conetur

adversus Dei ipsius potestatem manere humanus, exprimi heredium monotheismi ethici proprium. **Abrahamum** non solum id studere, ut contendat exstare unicum Deum verum, sed etiam id, ut ponat instantiam iustitiae universaliter. Si haec ansa suppletur nuntio christianismi praecipuo, quo omnes homines sunt filii Dei ideoque inter se aequales, via **Conflictûs Orientis Propinqui** solvendi unâ tantum sententiâ explicatur: **Dignitas omnium hominum est intangibilis.**

Licet supponere gubernationem Israeliae novisse Vetus Testamentum, sed eadem non agit secundum praecepta huius operis. **Schimon Stein**, ambasciator quondam Israeliae Germaniensis, iudicavit gubernationem Netaniahuanam esse *semi-fascisticam*. **Bezalel Smotrich** Minister rerum fiscalium se ipsum appellat *fascistam homophobicum*. **Joaw Galant** Minister defensionis triumphans enuntiavit: »**Nullum fluentum electricum, nullum cibum, nullum benzinum, omnia sunt obserata. Pugnamus contra humanas bestias et agimus consequenter**«. Iste sermo profecto est sermo fascismi. In dies plures Israeliani Israeliaeque amici nunc affirmant hanc terram protegendam esse contra se ipsam et finem imponendum esse homicidiis, ut resistatur antisemitismo cottidie augescenti. Et hîc illîc apparet veritas amara: Hamasiani ex annis adiuti sunt a gubernatione Israelianâ, imprimis a **Beniamino Netaniahuo**, ut impediret, ne conderetur res publica Palaestinatorum. Ut Civitates Unitae *Al-Qaidam*, ita Israelia fovit *Hamasianos* et nunc patitur effectûs terribiles rationis suae politicae propriae. Plerique Israeliani iam pridem postulant, ut succedatur gubernationi Netaniahuanae, cuius facinoribus in Laciniâ Gazeticâ commissis odium seratur infinitum et iterum iterumque exoriantur novi pugnatore Hamasiani et islamomachi¹. **Deborah Feldman**, Iudaea auctrix librorum plurimum divenditorum: »*Grex Hamasianus*« inquit, »*exstingui non potest. Doctrina eiusdem est ideologia, quae permanebit, dum habet humum nutritivam*«.

Immisericordia indignissima

Gubernatio Germaniae foederalis cum studet Israeliam ideoque gubernationem Israelianam sine ullâ conditione adiuvere neque passionibus augescentibus Palaestinatorum commoveri, ut postulet indutias statim faciendas, assequitur cum alia tum praecipuê unum: ut in Germaniâ denuo crescat *antisemitismus*. Cum **Olaus Scholzius** cancellarius foederalis solitâ suâ voce omnis fervoris experti repetat se pro certo habere gubernationem Israelianam observare ius gentium, quamvis interim plus 10.000 Palaestinatorum ab exercitu Israeliano interfecti sint, quorum dimidia pars infantes sunt, istâ immisericordiâ excitatur indignatio. Cum autem effectu **culturae cancellandi**² luxuriantis generaliter lêge prohibeantur manifestationes propalaestinae et artifices, qui defendant partem Palaestinae, non iam invitentur, crescit ira tam vehementer, ut in Germaniâ homines molestias impetûsque accipiant - praesertim Iudaei. Ratio autem politica non assequitur corda hominum, nisi verâ humanitate nixa compatitur cum omnibus victimis, non solum cum victimis Israelianis. Egemus

1 ***islamomachus**, -i m. *Dschihadist, militanter Islamist*. cfr ***islamomachia**, -ae f. *Dschihad*.

2 **cultūra cancellandī**, i.e. angl. *cancel culture*. i.e. censura, quâ restringatur libertas sententiae dicendae.

nunc in Germaniâ magnâ manifestatione, in quâ postulentur indutiae statim faciendae et memoria celebratur victimarum israelianarum necnon palaestinarum.

SUNTNE IN LACINIA GAZETICA 50 HOMINES IUSTI?

SCRIPSIT OSKAR LAFONTAINE, LATINE REDDIDIT LEO LATINUS

<https://www.nachdenkseiten.de/?p=106879>

**Rashid Khalidi in colloquio rogatus:
„Omnis vita humana est pretiosa.
Ius humanitarium valet ad omnes.”**



RASHID ISMAIL KHALIDI

رشيد خالدي
*1948

d.18. m.Nov. a.2023 h.11:45

*Scriptis **Michael Holmes**, Latinê reddidit **Leo Latinus***

Colloquium cum **Rashid(o) Khalidi(o)**, historico palaestino-americano Orientis Propinqui, qui docet in Universitate Columbianâ Neo-Eboracensi. Annis nonagenariis îdem functus est munere consiliarii disceptatorum Palaestinarum Matriti et Vassintonii. Khalidius numerosos libros scripsit de Oriente Propinquo, e.g. „Bellum ex 100 annis de Palaestinâ gestum esse“; quod opus continet historiam prolixam conflictûs israelo-palaestini ab a.1917 usque ad a.2017 facti. Quo libro mirabili Khalidius acriter vituperat Israeliae bella numerosa contra gentem Palaestinarum gesta et continuam Palaestinae colonizationem. Tamen îdem auctor praebet conspectum conflictûs aequum et subtilem. Khalidius autem argumento praecipuo intexuit delectabiles narrationes personales complurium generationum gentis suae. Qui omnes Arabes adhortatur, ut cognoscant atque comprobent, genti Iudaeorum quantum valeant holocaustum et res publica Israeliana.

Hôc autem colloquio interrogatorio Khalidius explicat, quomodo conflictus nuperrimê exasperatus sit, quae sint eiusdem radices historicae profundissimae, quam personam gerant nationes occidentales et quales sint Israeliae mythi praeconationis politicae propagandae.

Cum *Rashido Khalidio* collocutus est *Michael Holmes*.

Domine Khalidi, ut vales his diebus?

Animo sum valdê depresso. Nam sunt mihi cognati in Laciniâ Gazeticâ aliisque partibus Palaestinae habitantes. Sunt mihi etiam multi studentes universitarii et amici

in Palaestinâ atque Israeliâ viventes. Itaque sum valdê desperatus, praesertim cum in Gazâ interfecti sint permulti homines civiles.

Hôc tempore quae cogitas priora? Quid sentis esse gravissimum, quod intelligendum sit?

Gravissimum est intellegere secundum ius gentium humanitarium et secundum omnes mensuras morales vita civilis quam optimê sit protegenda. Hoc non solum valet ad incolas Israeliae civiles – nisi mensuratur mensurâ morali perversâ – sed valet ad omnes incolas. Cum credam plerosque homines mundi hoc intellegere, credo etiam in partibus occidentis hoc non tam bene intellegi quam oportet. Cogito esse nonnullas coniecturas de Israeliae iure se ipsam defendendi et quaestiones velut proportionalitatem et protectionem incolarum civilium in bello, quae non prorsus intelliguntur. Clarê apparet Israelianos civiles interfici, ut factum est imprimis d.7.m.Oct. Qui non sunt pugnatore. At interfectione (usque nunc) circiter decem milium Palaestinatorum homines non tantopere commoventur, et hoc mihi videtur sollicitum.

Sed hoc non valet ad omnes. Cogito magnam partem hominum occidentalium credere omnem vitam humanam esse pretiosam et ius gentium humanitarium spectare ad omnes. At plerisque politicis nostris et diurnariorum magnae parti necnon multis institutionibus in nostrâ societate haec res prorsus aliter se habet. Iidem enim vitas nonnullorum hominum maioris aestimant quam aliorum. Quare sollicitor.

Equidem satis consternatus sum de vehementiâ praeconationis propagandae, ipsâ in Germaniâ. In hôc conflictu generaliter consuevi talem praeconationem sustinere, sed in praesenti praeconatio fit vehementissima, quia tam manifestum est omni die committi scelera bellica. Illi dicunt nobis cottidie Hamasianos ûti scutis humanis etc. Quid tu respondes iis? Quare non ratio redditur eorum quae accidunt?

Omnis puginator militaris, etiam irregularis se abdit in hominum multitudinem, sicut pisces in mari natantes. Sed in Laciniâ Gazeticâ nusquam homines possunt se occultare. Spatium est exiguum. Instituta militiae Israelianae inveniuntur etiam in et circa communitates Israelianas. Nemo contendit Israeliam se occultare post scuta humana, sed etiam apud Israelianos civilia et militaria possent distinctius inter se disiungi. Si mappam geographicam regionum circum Laciniam Gazeticam accuratê aspectas, invenis sedes militares, quae sitae sunt intra communitates civiles. Cogito hoc argumentum esse splendidum, sed eodem nullum militem solvi ab obligatione ius gentium humanitarium observandi. Utrum inter incolas civiles pugnatore sunt an iidem versantur in campo aperto faciliores interfectu, non rêfert erga ius gentium humanitarium. Incolae civiles debent protegi quam optimê.

Duces militiae Israelianae post Bellum Libanense a.2006 gestum decreverunt doctrinam quae appellatur **Dahiya**. **Gadi Eizenkot**, praefectus generalis Israelianus,

qui etiam hōc tempore militatur, illo tempore fuit generalis maior, et edixit doctrinam quae sequitur: „*Nos non observabimus principium proportionalitatis*”, quod est principium iuris gentium centrale, si agitur de hominibus non-pugnatoribus. *Eizenkot* dixit: „*Nos destruemus scopos civiles.*” Quos dixit vicos et regiones urbanas. *Eizenkot* locutus est de *Dahiyâ* suburbio Beryti australis, quod ab aëroplanis Israeliae militaribus a.2006 funditus destructum est, quo aliquot centum incolae civiles sunt necati.

Ergo nunc agitur de fractore iuris gentium humanitarii, qui delictum suum repetit et qui hoc non clam facit, sed publicē annuntiat se violaturum esse ius gentium. Tamen nemo istam rem inquirat, addubitare, obicit. Omne argumentum israelianum a politicis nostris nostrisque diurnariis iterum iterumque repetitur. ***Gadi Eizenkot*** dixit se commissurum esse scelera bellica. His annis praeteritis egi cum multis diurnariis hisque tribus quattuorve septimanis cum etiam pluribus. Tamen ne unum quidem hominem audivi istam doctrinam in aliquo publicamine commemorantem.

Paene videntur in Israeliâ politici ducesque militares ordinis altioris inter se consentire. Qui paene videntur contradicere propagandistis occidentalibus, qui petant Israeliae excusationes. Videntur illi nobis consentientes dicere: „*Nulla est excusatio. Reverâ nos hoc facimus.*” Oportet quaeram rem gravissimam, quamquam haec quaestio plura petit quam ut tractentur in colloquio interrogatorio. Reverâ melius est lectores legere librum tuum. Quid scis nobis dicere de causis huius conflictûs?

Hic conflictus est recens. Qui est effectus nationalismo moderno. Necnon est effectus imperialismo occidentali. Antequam fuit nationalismus modernus, neque fuerant Israeliani neque Palaestini. Fuit in Palaestinâ gens Iudaica. Qui Iudaei habuerunt radices varii generis stirpis, linguae, historiae, religionis. At conflictus est effectus ascensûs moderni zionismi politici et nationalismi inter Palaestinos. Et est effectus decreti Imperii Britannici, ut ***declaratione Balfourianâ*** et mandato Palaestinae colonia constitueretur in Palaestinâ. Sine his factoribus, sine nationalismo et imperialismo Britannico non esset conflictus, quem hodie habemus. Fortasse fuisset etiam aliquod genus zionismi. At hodie habemus conflictum motione nationali effectum, quae est etiam motio colonialis, quae ex initiis suis semper se putabat esse partem Europae, quae semper sibi postulavit ius Palaestinae possidendae, sed etiam fuit motio colonialis separatistica. Illi habuerunt aliquid, quod appellabatur *Iudaica Agentia Colonizationis*; hōc nomine ego non usus sum: ego non diffamo zionismum. Sed zionistae hoc nomen imponebant agenturae suae terrae comparandae, et loquebantur de coloniis deque colonialismo. Tales homines qualis fuit ***Jabotinsky***, saltim sinceri eorum, cognoverunt agi de conflictu coloniali. Utrâque in parte exulta est natio et conscientia nationalis ferê eodem tempore, intra unam generationem. At non agitur de conflictu partium aequalium, quae sunt aequi iuris. Non agitur de Francogalliâ et Germaniâ. Agitur de motione coloniali, quae in omni phasi existentiae suae adiuta est a potestatibus historiae mundanae fortissimis. Non agitur de miseris

parvis zionistis in Palaestinâ habitantibus, qui prorsus solitarii contra oceanum Arabum hostilium sunt pugnaturi. Zionismus adiutus est ab Imperio Britannico, maximo imperio aetatis suae, contra Palaestinos, qui a populis arabicis adiuuabantur, quorum plerique intra tempus mandati usque ad a.1948 regimini coloniali erant obnoxii. Zionismus semper confisus est viribus imperialismi europaei potentissimis, ut in Palaestinâ fines suos assequeretur. Id quod hodie vides in Cisiordaniâ, i.e. colonos saevientes, qui expellunt Palaestinos, est pars processûs, qui efficitur eventibus anni 1948 et derivatur ex priore colonizationem. Studia Palaestinos ex Palaestinâ aut in partes Palaestinae etiam etiamque minores expellendi iam fiunt ex a.1948. Etiam ex *Nakbâ* ipsâ, cum 750.000 hominum ex regione, quae facta est Israelia, expulsa essent, Israelia omnem Palaestinum sclopeto interfecit reversurum. Israelia ursit incolas Arabes relictos in regiones etiam etiamque minores, eorum terram sumptam nemini ad usum tradidit nisi colonis Iudaeis iisdemque methodis operatur sive in Cisiordaniâ sive Hierosolymae sive in ***Collibus Gaulanitis***¹ occupatis. Processu temporis nonnullae res manserunt immutatae, sed scilicet multas esse mutatas.

In libro tuo persuasibiliter explicas Palaestinis numquam praebitam esse talem rem publicam Palaestinam condendam, ut fieri posset solutio duarum rerum publicarum. Rabinus et postea Baracus fortasse aliquatenus proximi fuerunt tali solutioni, sed tamen non totam assecuti sunt. Ut comprehendam argumentum libri tui: Ex a.1967 a parte Israelianorum nulla solutio seria conflictûs praebita est, quae a Palaestinis posset comprobari. Rectêne dixi?

Hoc est absolutê rectum. Nulla solutio, quae praebita est, congruit cum postulatione minimâ Palaestinatorum iurum superanitatibus aequalium, iurum libertatis se movendi aequalium, iurum securitatis aequalium. Complures duces Israeliae parati erant ad disceptandum. Netaniahuus autem non est paratus. Complures duces Israeliae parati erant positiones Israelianas mutare. Quas positiones nolo appellare concessionem, nam terram nostram nostraque iura illi nobis non possunt concedere. Sed tres duces Israeliae, **Rabinus**, **Baracus**, **Olmert** vario modo variisque temporibus saltim parati erant ad disceptandum. **Rabinus** declaravit Palaestinos esse populum. Nullus dux Israelianus hoc umquam antea dixerat, **Golda Meir** paucis annis antea dixerat Palaestinos omnino non exstare. Haec est etiam hodie positio multorum ducum Israeliae. **Rabinus** comprobavit Palaestinos repraesentari a PLO. Ergo idem

1 **Collēs Gaulanītīdis**: arabicē هضبة الجولان *Hadbat al-Dschaulān, Haqbat al-Ġawlān*, hebraicē רמת הגולן *Ramat haGolan*, theod. *Golanhöhen*; angl. *Golan heights*; fr. *plateau du Golan*; hisp. *Altos del Golán*; ital. *alture del Golan*.

- <https://de.wikisource.org/wiki/RE:Gaulanitis>: „**Gaulanitis** (Γαυλανίτις, ἡ Γαυλανίτις χώρα Joseph. ant. XIII 13, 5. 15, 4. XVIII 4, 6; bell. Iud. II9,1. 12,8. 20,6. III3,1. 3,5. 10,10. IV1,1; vit. 37; Γαυλανιτική Joseph. bell. Iud. II20,6; Γαυλωνίτις Joseph. ant. XVII 8, 1; bell. Iud. III3,1; Γαυλανᾶς Joseph. bell. Iud. IV1,1), Landschaft im ostjordanischen Palästina, die ihren Namen nach Eusebius (Onom. 242) von dem großen Ort Gaulon erhalten hat ... Er unterscheidet **Auranitis**, Trachonitis, **Batanäa** (s. die betr. Art.) und G. **Letztere ist das unmittelbar östlich vom Tiberiassee und Jordan steil aufsteigende Hügelland**, an das sich dann weiterhin östlich die Hauranebene (Batanäa und Trachonitis) anschließt. Im Süden bildet die tief eingerissene Schlucht des Jarmuk (Hieromyces) die natürliche Grenze gegen Gilead im engeren Sinn (die heute 'Adschlün genannte Landschaft, s. Galaad).“

aliquatenus est progressus, sed nullo tempore comprobavit ideam rei publicae Palaestinatorum superanae et prorsus independentis. In oratione ultimâ in Parlamento habitâ dixit: *„Praebebimus Palaestinis minorem rem quam rem publicam.“* *„Nos custodiemus vallem Iordanis.“* Quid hoc sibi vult? Occupationem continuatam! Ergo ipse *Rabinus*, qui usque ad mortem has mutationes positionum Israeliae instituit graviores, non fuit paratus Palaestinis dare rem publicam superanam et independentem eosque liberare a custodiâ potestatis alienae. Idem valet ad ***Baracum*** et ***Olmertium***.

Ex illo tempore gubernatio Israeliae etiam etiamque dextrior facta est. *Scharon*, deinde *Netaniahuus*, et nunc in gubernationem introduxit factiones colonorum extremas. Sic condicio Gazae et Cisiordaniae in annos intolerabilior facta est.

Sed sine me personam gerere Advocati diaboli. Multi homines occidentales intellegunt Palaestinos pati miseriam eosque esse victimas iniustitiae. Sed plerique eorum mihi videntur sentire se esse aliquanto propinquiores Israeliae. Qui putant praecipuê Hamasianos, sed etiam ceteras catervas Palaestinas paratissimas esse ad Israeliam delendam. Ista sibi proposuisse, ut omnes Iudaeos interficerent alterumque Holocaustum committerent. Itaque nos esse obligatos – etiamsi Israelia non sit perfecta, si agitur de iuribus humanis –, ut adiuvemur ius eius fundamentale se ipsam defendendi. Si ego essem Israelianus Telavivensis paratus ad pacem faciendam, qui intellegat Palaestinos dignos esse propriâ re publicâ et dignitate humanâ, nescio an post istam attentationem Hamasianam cogitarem: *„Fortasse reverâ nos omnes volunt necare!“* Si nunc essem Israelianus, certê timerem Hamasianos. Quid tu diceres, si ego tibi dicerem: *„Scio nos numquam valdê studuisse, ut pacem faceremus, sed nunc nihil nobis restat, quod faciamus nisi debemus Hamasianos, et hoc est foedum, sed quid faciamus?“*

Multa elementa centralia narrationis israeliana comprehendisti. Primo homines non solum in Germaniâ, sed generaliter in occidente proficiscuntur a conscientîâ culpae iusto exortâ, propter eas tribulationes, in quas Europa Christiana Iudaeos per plus millennium adduxit. Non solum de Holocausto loquor. Doleo hanc esse causam multarum animo commotionum, quibus Israeliani male abutuntur. Nam Holocausto omniumque Iudaeorum Israelianorum exstirpatio possibilis in memoriam revocantur ista scelera terribilia et efficiuntur sensûs culpae, sensûs culpae merito exorti.

Cum a.1988 PLO (*Organizatio Palaestinae Liberandae*) se violentiâ abdicaret, cum iter faceremus Matritum et Vassintonium, ut adiuvarem solutionem pacificam, Palaestini inter se maximê consenserunt. Cum ***Arafat*** a.1993 in caespite Domûs Albae ***Pacto Osloensi*** subscriberet, Palaestini maximê inter se consenserunt de pace faciendâ deque solutione duarum rerum publicarum. Oppositio fuit minoritas parva, et mansit parva plerisque annis nonagenariis. Cur haec res mutata est? Cur ex parvâ minoritate (non-pacificâ) facta est minoritas multo maior? Cur annis nonagenariis commiserunt attentationes suicidiales? Certê non subito sumpserant medicamentum

psychotropicum! Reverâ Israelianorum dictis factisque adducti sunt, ut talia facinora committerent. Cum adhuc disceptaretur, numerus coloniarum duplicatus, immo triplicatus est. A.1993 occupatio facta est etiam restrictivior. Post Pactum Osloense Israeliani et coeperunt Palaestinos in **Bantustan**² in Cisordaniâ sitâ necnon in Laciniâ Gazeticâ habitantes in carcerem conicere. Israelia effecit condicionem, quâ Palaestinis nulla optio restare videretur nisi violentia. Israelia eo quod recusavit, ne comprobaret rem publicam Palaestinatorum superanam³, indirectê effecit Hamasianos.

Rabin, Peres, Netanjahu, Barak, Olmert, Sharon – omnis singula Israeliae gubernatio auxit inclusionem et impedimenta Palaestinatorum et coloniarum deductionem. Interim in Cisordaniâ et in urbe Hierosolymâ orientali sunt circiter septingenta milia vel maximê octingenta milia colonorum Israelianorum. Postulatur, ut Palaestini abstineant a violentiâ. Sed quid de violentiâ Israeliae? Coloniarum deductio est violenta; coloni praedantur terram, incolas expellunt. Obseratio Cisiordaniae fit cum violentiâ. Biocolytae in Cisiordaniâ et in urbe Hierosolymâ orientali sunt violenti. Palaestinos in carcerem conicere est violentum.

Fuitne umquam annis octogenariis usque ad nonagenarios annos exeuntes abundans maioritas Palaestinatorum parata ad viam pacificam ineundam? Parati fuerunt. At Israelia quid respondit? Concessit nullam rem publicam, nullam spem, nullum foedus pacis servandae, sed effecit occupationem multo fortiolem, vehementiorem, severiorem, duriorem. Itaque necessario facta est violentia. Errores crassi, informationes falsae systematicae, sensûs culpae efficiunt istam mixturam venenatam mendaciorum atque veritatum dimidiarum, quae est sententia a te prolata. Nihil, prorsus nihil eiusdem est verum. Suntne Palaestini, qui velint delere Israeliam? Sunt. Voluntne omnes occîdere? Fortasse volunt, fortasse nolunt. Suntne hodie Australiani, qui velint delere Australiam? Sunt. Suntne Palaestini, qui adiuvent violentiam? Sunt. At quare sunt minus parati ad pacem faciendam?

Oportet etiam quaerere, num fieri potuerit, ut disceptaretur ipsis cum gregibus, qui olim violentiam comprobaverant aut adhibuerant. Fueruntne occasiones, quae ignorarentur aut praeterirentur?

2 **Bantustan**: <https://en.wikipedia.org/wiki/Bantustan>: „... In the Middle East, the Palestinian enclaves in the West Bank, as well as the Gaza Strip, are often described as bantustans by critics of Israel's policies in the Palestinian territories. The term is used to refer to either the proposed areas in the West Bank designated for Palestinians under a variety of U.S. and Israeli-led proposals to end the Israeli-Palestinian conflict, or the existing 165 "islands" which first took official form as Areas A and B under the 1995 Oslo II Accord. The Israeli-U.S. peace plans, including the Allon Plan, the Drobles World Zionist Organization plan, Menachem Begin's plan, Benjamin Netanjahu's "Allon Plus" plan, the 2000 Camp David Summit, and Sharon's vision of a Palestinian state have proposed an enclave-type territory, as has the more recent Trump peace plan. This has been criticized as the "Bantustan option".

3 +**superānus**, -a, -um et +**superānus**, -i m. *souverän*. cfr <http://ducange.enc.sorbonne.fr/superanus>: „**SUPERANUS**, Ex optimatum ordine, princeps. Vetustæ Membranæ apud Ludewig. tom. 8. Reliq. MSS. Pag. 221: Ladislaus... improvisus hostibus supervenire moliebatur. Unus vero eorum, qui Superani dicuntur, vehementer ei cepit obsistere, monens ne tempus pugne statutum perveniret, etc. Ille etiam Superanus viriliter pugnans cum multis aliis interfectus est.“

Bismillennariis annis ineuntibus, **Abbasio** electo a.2005 et postquam Hamasiani in suffragiis Consilii Legislativi a.2006 maioritatem assecuti sunt, factae sunt gubernationes inter *Fatahianos* et *Hamasianos* unitae, quae praebuerunt disceptationes cum Israeliâ faciendas. At occidentales et Israelia hoc recusaverunt, negaverunt. Israelia dixit: *„Hamasiani debent se abdicare a violentiâ, quae appellatur tromocrata, et existentiam Israeliae comprobare condicionem sine quâ non disceptetur. Sed nos pergemus adhibere violentiam systematicam nostram et infinitam occupationis et colonizationis. Vos desinetis resistere, et, antequam colloquamur, comprobabitis existentiam nostram, qualem nos eam definimus, et deinde nos dicemus paratos esse vobiscum colloqui.“*

Netaniahuus non dixit se paratum esse ad colloquia habenda, neque proxima gubernatio hoc dixit. Num haec fuit occasio? Fortasse fuit, fortasse non fuit. Nequaquam certum est gubernationem coalitionis illo tempore potuisse assequi pactum cum Israeliâ faciendum, sed Civitates Unitae recusaverunt, Europa recusavit. Ista narratio, qualis est *„Isti iam semper voluerunt nos occîdere, semper, nihil voluerunt, nisi nos occîdere, isti sunt homicidae, isti non alii sunt ac nacistae“* - ista est narratio prorsus falsa. A.1982 **Beginus** comparavit **Arafatium** in urbe *Beryto* occidentali quae obsidebatur versantem cum *Hitlero* Berolini altero Bello Mundano exeunte versanti, **Beginus** semper utebatur istis metaphoris, et inde ex illo tempore multum valent in praeconatione Israeliae politicâ. Exemplum afferre solebant illius **Mufti**, qui altero Bello Mundano reverâ collaboravit cum nacistis. Sed fuerunt multi alii duces Palaestinatorum, qui hoc non fecerunt. Fuerunt etiam Palaestini, qui in exercitu Britanniae pugnaverunt contra Germaniam.

Cogito argumentum, quod a defensoribus Palaestinatorum nimis saepe non affertur, est id quo dicitur Israelianos a Civitatibus Unitis et Europâ cogendos esse, ut faciant ea, quae optima sint securitati propriae. Mihi quidem manifestum est rationem Israelianorum erga Palaestinos politicam esse Israelianis ipsis periculum maximum. Nonne oportet hoc saepius verbis efferre?

Oportet. Si politicis occidentalibus vera commoda Israelianorum cordi essent, ita ut propria sua necnon pax atque stabilitas huius regionis, nisi temere et sine ullâ dubitatione omnem rationem agendi sequerentur, quam eligit Israelia. Estne interfectio 9000 hominum bona via, quâ securitas Israeliae confirmetur proximo decennio? Pro certo habeas istam viam non esse bonam. Pro certo habeas homines necessarios eorum qui interfecti aut vulnerati (20.000) sunt, de Israeliâ non benevolê sentire. Ii homines, qui Israeliani nunc impugnant, saepe sunt filii illorum, quos interfecerunt. Potestne fieri, ut homines, qui inter se impugnant, aliquando unus ad alterum considant et disceptent? Ita est, hoc potest fieri. Ex omni conflictu, qui aut in Africâ australi aut alibi sedatus est, hoc apparet. **Yitzhak Rabin** a.1948 auctor fuit expulsionis Palaestinatorum. Non dico violentia si adhibita sit, solutionem non iam fieri

posse, sed violentiâ adhibitâ solutio non fit facilior. Etiam interfectione Israelianorum civilium solutio non fit facilior. Iis quae d.7. m.Oct. facta sunt, solutio non fit facilior.

Equidem aliquatenus consternatus sum de reactione Civitatum Unitarum, Britanniae Magnae, Unionis Europaeae. Semper conabar hominibus dicere etiam gubernationes occidentales sibi non semper temperare, quin faciant terribilia, ut apparuit in Iemeniâ, Syriâ, Libyâ, Afganistaniâ, Iraciâ. At nunc gubernationes occidentales mihi videntur talia facere studio fanatico. Eaedem animorum affectibus artissimè coniunctae sunt cum Israeliâ. Duces nationum occidentalium graviter supprimunt omnes, qui Israeliam vituperent. Qui conantur criticos diffamare eo quod contendant illos concordare cum horrendis Hamasianis trucidatoribus. Equidem istis sollicitor. Si animo fingo, qualia ista videantur Palaestinis, puto eosdem istis etiam magis sollicitari. Nationes praestantissimae videntur omnes stare a parte hostili. Nonne istâ re spes Palaestinis eripitur?

Ne obliviscamur secundum demoscopiam recentissimam 66 partes pro centum Americanorum comprobare indutias faciendas, id est, reprobare sententiam Israeliae. Neque comprobant sententiam gubernationis suae. Nostra gubernatio, utraque factio politica, publicamina, magnae negotiationes, homines huius societatis potentes, universitates studiorum, hae omnes divulgant narrationem, quam modo descripsisti: *„Vos estis infanticidae, vos estis tromocratae, si foveitis iura Palaestinatorum, vos estis antisemitae.“* Haec est doctrina, quae hominibus inculcatur. Quâ fiet in hac terrâ lêges et praecepta et deminutiones libertatis sentiendi. At sententia a potentibus proclamata non est sententia publica.

Magna enim pars civium n o n comêdit *fructum Lotophagorum*⁴ sibi a praeconatoribus Israeliae praebitum, quo proclamatur: *„Omnia quae nos facimus, sunt iusta, et faciemus haec tam diu quam volumus, nec desinemus, quaecumque vos dicetis. Et vos debetis nobis adesse. Et quicumque aliter sentit, est tromocrates, est infanticida, est nacista, est peior quam tromocratae ipsius Civitatis Islamicae (ISIS).“* Ne repeto quidem ea quae dicunt Israeliani; repeto ea quae compluries dixit Praeses Civitatum Unitarum. Quare sollicitor. Simul spem concipio, quia cognosco paucas terras Europae occidentales paucasque colonias colonorum alborum, inclusis Civitatibus Unitis Canadâque, non esse mundum totum. Licet habeant pecuniam, licet habeant naves planigeras, sed magnae terrae – Indonesia, Bangladesia, India, Nigeria, China, Brasilia – homines, exceptis paucis hominibus Europam occidentalem incolentibus istisque coloniis colonorum alborum – nihil horum omnium comprobant.

4 orig. *Kool-aid*, est genus limonatae Americanum, quod a.1978 veneno admixto praebita est omnibus asseclis sectae Guyanensis ab illo *Iacobello (Jim) Jones*, ut unâ committerent suicidum gregale. *„Bibere Kool-aid“* valet i.q. credere et sequi dogma aliquod temerariè sine ullâ consideratione criticâ. cfr <https://en.wikipedia.org/wiki/Kool-Aid>: *“...„Drinking the Kool-Aid“ is a phrase suggesting that one has mindlessly adopted a dogma of a group or a (cult) leader without fully understanding the ramifications or implications. The backdrop of this are events culminating in the 1978 Jonestown Massacre. At Jonestown, Guyana, followers of Jim Jones' Temple drank from a metal vat containing a mixture of "Kool Aid", cyanide, and prescription drugs Valium, Phenergan, and chloral hydrate..“*

Gaudeo quod pars mundi reliqua iura Palaestinatorum adiuvat, etiamsi criticê iudicant de rationibus Palaestinatorum agendi.

Iis quae fecerunt Hamasiani in Israeliâ, etiam paene omnes sunt consternati. Maior pars hominum iudicat magnâ cum varietate, sed in praesenti valdê favet Palaestinis.

Certê oportet ne quid mali fiat infanti Israeliano, Israelianae mulieri aut Israeliano civili. At hoc valet etiam ad infantem Palaestinum, ad mulierem Palaestinam aut ad Palaestinum civilem. Plerique homines credunt homines omnes esse eiusdem gradûs humanitatis neque unum praeferunt alteri. In iure gentium non est tale privilegium. At nonnulli homines profecto credunt homines non esse eiusdem iuris. Nonnulli homines credunt mortem 900 aut 1.100 Israelianorum civilium maius pondus habere maioremque valorem moralem habere quam mortem usque nunc 9.000 Palaestinatorum aut quotcumque – nescio, quantus sit numerus, qui hîc colloquio publicato erit etiam multo maior.

Quantopere times belli exasperationem regionalem? Num hoc bellum transferetur ad Libanum, num fortasse dilatabitur usque ad Iraniam aut Syriam?

Cogito hoc esse timendum. Hoc est causae, cur nos omnes sollicitemur, quia poterit fieri, ut bellum transgrediatur omnes limites. Fieri poterit – quod Deus avertat! - ut bellum non solum finiatur intra regionem, sed evadat bellum atomicum aut bellum mundanum. Si etiam Civitates Unitae et Russia directê fient participes, hoc poterit fieri. Spero et cogito bonas causas esse, quibus tale bellum avertatur. Cogito verisimile esse Iraniam, Hisbollaham, Israeliam, Civitates Unitas nolle bellum gerere maius – omnem eorum suis causis propriis. Omnes hi actores praecipui non videntur velle bellum maius. Num inde sequitur eos huic bello posse moderari? Non sequitur. Num inde sequitur bellum non posse effici re inexpectatâ? Nemo voluit Primum Bellum Mundanum. Uno effectum est alterum. Potest fieri exasperatio subita, inexpectata, non praedisposita, non moderabilis. Cogito hoc timendum esse. At sunt bonae causae, quibus opinor minimum quattuor actores praecipuos se abdicaturos esse.

Gratias tibi ago multas. Pro familiâ tui amicisque tibi exopto optima quaeque. Gratias ago tibi.

COLLOQUIUM

QUO D.18. M.NOV. A.2023

MICHAEL HOLMES

ROGAVIT

RASHID ISMAIL KHALIDI

LATINE REDDIDIT


LEO LATINUS

<https://www.telepolis.de/features/Israel-Krieg-Tod-und-Zerstoe-ung-in-Gaza-9574864.html?seite=all>

BELLUM ISRAELIANUM: IN GAZA FIERI CAEDEM ET VASTATIONEM

d.16. m.Dec. a.2023 [John J. Mearsheimer](#)

UNO: 18.800 Gazenses civiles usque nunc sunt interfecti, plus 50.000 violati. 90% hominum sunt profugi. John Mearsheimer scribit, quam gravis sit iste conflictus et qualis sit evasurus.



PROF. JOHN J. MEARSHEIMER

(*1947)

Americanus coryphaeus
historiae et politologiae

Non credo fore, ut aliquid verborum, quae dicturus sim de rebus Gazensibus, valeat ad rationem politicam, quâ in hōc conflictu utantur Israelia aut America. At tamen volo hōc loco litteris mandare, quid censeam, ut historici, si quando istam calamitatem moralem recensebunt, videant *nonnullos saltim Americanos stetisse a causâ iustâ.*

Id quod Israelia in urbe Gazâ facit de incolis civilibus – gubernatione Bidenianâ adiuvante – est *scelus contra humanitatem*, quod nullam habet utilitatem militarem. *J-Street*, quae est organisatio *Lobiae Israelianae* magni momenti, istud exprimit his ferê verbis: "*Vix mente fingi potest, quanta sit calamitas humanitatis augescens et quantus sit numerus victimarum civilium.*"

Permittite, ut haec exponam accuratius.



Primo: Israelia consulto trucidat magnum numerum hominum civilium, quorum circiter 70% (*partes pro centum*) sunt infantes et mulieres.

“*Utemur omnibus rationibus*”

Israelia contendens se magnam operam dare, ut victimae civiles fiant quam paucissimae, verbis refutatur Israelianorum magistratum altiorum. E.g. locutor ipsarum IDF (Israelianarum copiarum defensionis) d.10. m.Oct. a.2023 dixit *maximê valere detrimenta, non subtilitatem*. Eodem die enuntiavit **Yoav Gallant** minister defensionis: *"Omnia impedimenta laxavi – omnem necabimus, contra quem pugnamus; utemur rationibus omnibus."*

Praeterea inter bombarum deiectiones patet Israeliam indiscriminatim necare homines civiles. De impetibus Israeliae bombariis scriptae sunt duae disquisitiones prolixae – in publicaminibus israelianis publicatae – quibus accuratê explicatur, quomodo Israelia interficiat magnum numerum hominum civilium. Operae pretium est titulos harum symbolarum afferre, quibus breviter atque dilucidê comprehenditur, quid in illis dicatur:

„Officina homicidii massalis: Post siparia bombationis Laciniae Gazeticae ab Israeliâ praedispositae“

„Exercitus Israeliae Gazae desiit modum tenêre, et ex datis factisque patet caedem fieri inexauditam“.

Similiter *Tempora Neo-Eboracensia* mense Novembri a.2023 exeunte publicaverunt symbolam, c.t.: *„Homines civiles Gazenses bombis interficiuntur velocitate inexauditâ.“*

Israeliā vituperari a secretario generali Nationum Unitarum



DEUS DEUS MEUS RESPICE IN ME: QUARE ME DERELIQUISTI ?

Itaque mirum non est **Antonium Guterres**, secretarium generalem Nationum Unitarum, dixisse: „*Testes sumus interfectionis hominum civilium, qualis non fuit – quantum memini – in conflictu non facta est inde ex mense Ianuario a.2017, quo munus meum suscepi.*“

Secundo: Israelia populum Palaestinatorum desperatum datâ operâ eo domat fame, quod copiam victualium, materiae propulsoriae, gasi coctorii, medicamentorum necnon aquae, quae in Gazam potest importari, vehementer deminuit. Porro curatio medicinalis populi, qui hōc tempore circumplectitur circiter 50.000 hominum civilium, impeditur gravissimê. Israelia non solum suppeditationem materiae propulsoriae in Laciniam Gazeticam portandae valdê deminuit, quae necessaria est ad nosocomia instituenda, sed milites etiam sibi non temperant, quin scopos sclopetandi sibi faciant nosocomia et arceras et stationes primi auxilii.

Adnotatio quaedam ipsius **Gallant** ministri defensionis d.9. m.Oct. facta rationem Israeliae politicam acu tangit:

"Imperavi, ut Lacinia Gazetica completa obsidatur. Gaza non habebit fluentum electricum, neque cibos neque materiam propulsoriam, omnia sunt clausa. Pugnamus contra bestias humanas, et agimus consequenter."

Non potuit quidem Israelia, quin permetteret, ut copiae rerum minimae Gazam portarentur, sed hae copiae tantulae sunt, ut quidam officialis Nationum Unitarum magnae auctoritatis referat *dimidiam partem Gazensium esurire. Praeterea refert: "Novem ex decem familiis in quibusdam regionibus Gazae degunt „totum diem totamque noctem ieiunantes."*



Usus verborum terrificus

Tertio: Duces Israeliae loquuntur more terrifico de Palaestinis deque iis, quae Gazae facere cupiunt; hoc eo est terribile, quod nonnulli duces non desinant loqui de terroribus Holocausti.

Profecto ex hōc usu verborum **Omar Bartov**, investigator Holocausti Israeliensis eminens, conclusit Israeliam loqui atque agere finibus homicidalibus. Alii scientistae investigationis Holocausti et genocidii similia dixerunt monentes. Ut accuratius dicam: Duces Israeliani consueverunt Palaestinos appellare „*bestias humanas*“ et „*beluas humanas*“ et „*terribiles bestias inhumanas*“.

Nec ipse **Isaac Herzog** Praeses Israeliae sibi temperat, quin explanet hos duces ista verba referre ad omnes Palaestinos, non solum ad **Hamasianos**. Nam îdem dixit hoc: *"Tota ista natio est responsabilis."*

Tempora Neo-Eboracensia quid nuntient de publicâ discussione Israelianâ

Non mirum est – ut refert ephemeris, c.t. *Tempora Neo-Eboracensia* - Israelianos in discussionibus publicis solere postulare, ut Gaza „*extirpetur*“ aut „*eradatur*“ aut „*deleatur*“. Quidam praefectus generalis Israeliae, qui enuntiavit Gazam *factum iri locum, quo nullum iam ens humanum existere posset*, annuntiat etiam „*gravibus epidemiis in australi Laciniâ Gazeticâ Israelianos victoriae appropinquaturos esse*“. Minister quidam gubernationis Israelianae etiam altius progressus proposuit, ut *bomba atomica* deiceretur in urbem Gazam. Ista non sunt dicta ab extremistis insulatis, sed a membris gubernationis Israelianae potentibus.

Scilicet etiam politicos loqui de *purgatione ethnicâ* Laciniae Gazeticae (et Cis-Iordaniae), quo fieret altera *Nakba*¹. Minister autem agriculturae Israeliae dicit „*Nunc efficimus Nakbam Gazensem*“.

Quantam in abyssum societas Israeliana delapsa sit, fortasse maximê terribiliter demonstratur quodam scopocinamate, in quo puellulae cantant cantilenam crudelem, quâ celebratur destructio Gazae: „*Intra annum omnes delebimus, et deinde revertemur agros nostros araturi*“.²



Infrastructuram Gazae deleri

Quarto: Israelia non solum necat et vulnerat et sinit magnum numerum Palaestinatorum fame perire, sed etiam destruit systematicê eorum domos necnon criticam infrastructuram – inclusis mesquitis, scholis, locis cultûs civilis tradendi, bibliothecas, aedificia gubernationis necnon nosocomia.

Usque ad d.1. m.Dec. a.2023 milites Israeliani ferê centum milia aedificia aut affligerunt aut destruxerunt, etiam integras tribûs urbanas, quas fecerunt parietinas.

Itaque – quod vix animo fingi potest – 90% (nonagenae partes centesimae) 2,3 milionum Palaestinatorum Gazensium expulsi sunt ex domibus suis.

Praeterea Israelia magnam dat operam, ut destruat heredium culturale Laciniae Gazeticae. Ut *NPR (Nationalis Radiophonia Publica)* refert, "*plus 100 loca heredii culturalis Gazensis impetibus Israelianis aut afflicta aut destructa esse*".

Quinto: Israelia non solum Palaestinis terrorem inicit eosque interficit, sed etiam multos viros Palaestinos publicê humiliat, qui a militibus Israelianis solent

1 <https://de.wikipedia.org/wiki/Nakba>: „Als **Nakba** (*arabisch* النكبة, *DMG an-Nakba*, *hebräisch* הקטסטרופה), deutsch *Katastrophe* oder *Unglück*, wird im arabischen Sprachgebrauch die Flucht und Vertreibung von etwa 700.000 arabischen **Palästinensern** aus dem früheren britischen **Mandatsgebiet Palästina** bezeichnet. Sie vollzog sich zwischen dem **UN-Teilungsplan für Palästina** von 1947 und dem Waffenstillstand von 1949 nach dem **Palästina**krieg, den sechs arabische Staaten gegen den am 14. Mai 1948 gegründeten Staat **Israel** führten...“

2 <https://www.aljazeera.com/opinions/2023/12/13/its-not-shocking-to-see-israeli-children-celebrate-the-gaza-genocide>

comprehendi. Milites Palaestinos relictis subligaribus denudant, eorum oculos alligant, captivosque palam apud vicinos ostentant irrisoriê - e.g. eos gregatim mediâ in viâ stratâ collocant aut ducunt per vias – antequam autoplaustris impositos transportant in castra; plerumque iidem captivi postea liberantur, quia non sunt pugnatore Hamasiani.

Sexto: Israeliani ipsi istam caedem faciunt, sed facere non possent nisi adiuvarentur a gubernatione Bidenianâ. Civitates Unitae non solum unica terra fuerunt, quae suffragia ferret contra resolutionem nuper a Consilio Securitatis Nationum Unitarum propositam, quâ postulentur indutiae Gazenses statim faciendae, sed etiam Israeliae arma miserunt, quae necessaria fuerunt ad istam caedem faciendam.



Yitzhak Brick, praefectus generalis Israelianus nuperrimê dixit:

Omnes ruchetae nostrae, pyrothecae³, bombae praecisê telemoderabiles, omnia aeroplana et bombae, omnia afferuntur ex Civitatibus Unitis Americae. Eo momento temporis, quo Americani nobis claudent hoc epitonium aquaticum, non iam poterimus pugnare. Non sumus facultatibus propriis... Omnis intellegit nos hoc bellum gerere non posse sine Civitatibus Unitis Americae. Dixi.

³ *pyrothēcae, -ārum f.pl. theod. *Munition*; angl. *ammunition*.

Memoratu dignum est gubernationem Bidenianam, cum conaretur in Israeliam quam celerrimê importare pyrothecas additicias, illicitê evitavisse methodos usitatas lēgis exportationis armorum custodiendae.

Septimo: Quamquam nunc maxima vis attribuitur Gazae, tamen etiam multum valet respicere ea, quae simul fiunt in Cisiordaniâ⁴. Coloni Israeliani, qui artē cooperantur cum militibus Israeliae, pergunt interficere Palaestinos innocentes iisque furantur terram.

David Shulman in symbolâ excellenti, quae publicata est in *Periodico Librorum Neo-Eboracensi*⁵ istos terrores describens refert de colloquio cum colono Israeliano habito, quo patefiat Israelianorum modus cogitandi de Palaestinensibus.



Colonus libero ore loquens: “Quae nos“ inquit „his hominibus facimus, propriê sunt inhumana. Sed si accuratê deliberaveris, intelleges haec omnia necessario consequi ex eo, quod Deus hanc terram promisit Iudaeis, iisdem tantum, non aliis”.

4 *Cisiordānia, -ae f. i.q. theod. Westjordanland; angl. Westbank; arab. الضفة الغربية, aḏ-Diffah al-Ġarbiyyah; hebr. הגדה המערבית, HaGadáh HaMa'arávit.

5 orig. *New York Review of Books*.



Impetu in Gazam facto gubernatio Israeliana in Cisiordaniâ multo plures Palaestinos insolenter comprehensos in carcerem coniecit. Secundum *Amnestiam Internationalem*⁶ multis ex indiciis patefactum est hos captivos torqueri et humiliari. Cum observo istam calamitatem Palaestinensium in dies aggravari, non possum quin quaeram simpliciter ex ducibus Israeliae eorumque defensoribus Americanis et ex gubernatione Bidenianâ: **NUM DEEST VOBIS OMNIS PROBITAS?**

6 i.q. angl. *Amnesty International*.



supra, a sinistris: **Benjamin Netanjahu** (*1949) **בנימין נתניהו** (ביבי) *Minister Primarius Israeliae*.

infra a dextris: **Joaw Galant** (*1958) **יואב גלנט** *Minister Defensionis Israeliae*.

supra, a dextris et infra, a sinistris: *parietinae urbis Gazae, quae vastatur bombis Israelianis*.

<https://www.iglobenews.org/de/professor-john-mearsheimer-zum-genozid-in-gaza/>

Professor John J. Mearsheimer

d.8. m.Ian. a.2024

Lectores certiores facere velim de documento verê magni momenti, quod oportet quam latissimê diffundatur et ab omni homine, qui noscere cupit, quale bellum nunc fiat in *Laciniâ Gazeticâ*, perlegatur quam diligentissimê.

Dicturus sum de Petitione 84 paginarum, quam Africa Australis d.29. m.Dec. a.2023 in *Foro Iustitiae Internationali* (IGH) proposuit et in quâ Israelia accusatur, quod committat genocidium in Palaestinos incolas Lacinae Gazeticæ⁷. Quâ in petitione declaratur Israeliam ex bello ineunte, i.e. ex d.7. m.Oct. a.2023, agere eo fine, ut destrueret „*magnam partem Palaestini gregis nationalis, phyletici, ethnici*..“ Hoc crimen procul dubio congruit cum *definitione genocidii* in *Conventione Genavensi* scriptâ, cui Israelia subscripsit⁸.

⁷ <https://www.icj-cij.org/sites/default/files/case-related/192/192-20231228-app-01-00-en.pdf>

⁸ <https://www.un.org/en/genocideprevention/documents/atrocities-crimes/Doc.1 Convention on the Prevention and Punishment of the Crime of Genocide.pdf>



ECCE GEHENNA GAZETICA PARIETINAE ET DESERTUM RUDERUM

Hac Petitione excellenter describuntur ea quae Israelia facit in Laciniâ Gazeticâ. Quae est prolixa, bene scripta, bonis argumentis, documentis diligenter allatis. Eadem constat ex tribus partibus principalibus.

Primo hac in Petitione singillatim describuntur terrores, quos milites Israeliani Palaestinis ex d.7. m.Oct. a.2023 iniecerunt, et explicatur, quare iisdem immineant etiam multo plures mortes atque destructiones.

Secundo haec Petitio praebet magnam copiam indiciorum, quibus patefit duces Israeliae in Palaestinos agitare consilia genocidialia (59-69). Profecto verba ducum Israeliae publicè dicta – quae omnia afferuntur accuratissimè – sunt terrifica. Legenti quomodo Israeliani *summae auctoritatis* loquantur de ratione cum Palaestinis agendi, in memoriam revocatur *nacistarum* modus de *Iudaeis* loquendi (59). Imprimis hîc in documento argumentis demonstratur actionibus Israeliae Gazensibus unâ cum finibus a ducibus Israelianis declaratis manifestari rationem Israeliae politicam id studere, ut Palaestini Lacinae Gazeticae physicè destruantur (39).

Tertio Petitio valdè studet explicare, quatenus Bellum Gazeticum cohaereat cum ratione generali, quae intercedat inter Israelianos et Palaestinos eo quod dilucidè describit Israeliam Palaestinos Gazenses ex multis annis tractavisse tamquam bestias caveis inclusas. Afferuntur numerosae relationes *Nationum Unitarum*, in quibus accuratè describatur, quam crudeliter Palaestini tractati sint ab Israelianis.



ECCE AUSTROAFRICANUS ACCUSATOR ISRAELIAE

Ut dicam brevius: Ex hac Petitione apparet ea quae Israeliani ex d.7. m.Oct. Gazae faciant, ab illis, quae fecerint iam diu ante d.7. m.Oct., differre *quantitate*, sed *non qualitate*.

Procul dubio multa in hōc documento austro-africano descripta iam in publicaminibus *diurnariis*⁹ sunt enuntiata. Eo autem Petitio plurimum valet, quod omnia haec facta uno loco colliguntur et genocidium israelianum describitur prolixê et argumentis confirmatur. Ut aliter dicam: Haec Petitio praebet summarium, sed etiam non negligit singulas rerum subtilitates. Non mirum est gubernationem Israelianam crimina appellasse *diffamationem sanguinariam*¹⁰, quae nullum haberet fundamentum rei atque iuris. Praeterea Israelia contendit „*Africam australem collaborare cum grege tromocratico, qui monet, ut res publica Israeliana deleatur*“¹¹. Sed documento accuratê perlecto manifestum est haec dicta esse nullius fundamenti. Profecto difficile est mente confingere, quibusnam argumentis rationalibus atque iuridicis se defensura sit processu ineunte. Nam difficile refutatur nuda veritas.

Sinite me nonnulla additicia adnotare de accusationibus austro-africanis.

⁹ **media diurnaria** i.q. angl. *media*; theod. *Medien*.

¹⁰ **diffamatio sanguinaria** sive **mendacium sanguinis** sive generaliter **diffamatio homicidii ritualis**. angl. *bloodlibel*. Medio aevo Iudaei mendaciter dicebantur clam abducere infantes christianos et interficere, quia eorum sanguinem adhiberent ad Festum *Pessach* necnon ad varios fines magicos aut medicinales.

¹¹ <https://www.timesofisrael.com/blood-libel-israel-slams-south-africa-for-filing-icj-genocide-motion-over-gaza-war/>



ECCE FORUM IUSTITIAE INTERNATIONALE

Primo in documento verbis effertur genocidium distinguendum esse ab aliis sceleribus bellicis sceleribusque contra humanitatem, quamquam „*saepe arta cohaerentia valet inter omnes has actiones.*“ (1) E.g. bombatio incolarum civilium ad victoriam pariendam – qualis facta est in bello mundano secundo bombatio urbium germanicarum atque iaponicarum a Britannîâ magnâ et Civitatibus Unitis – quod factum est scelus bellicum, sed non genocidium. Britannia magna et Civitates Unitae conati non sunt delere „*partem maioris momenti*“ aut totam populationem rerum publicarum, quas petiverant. Purgationes ethnicae, quae foventur violentiâ selectivâ, item sunt scelera bellica, etiamsi non sunt genocidium. **Omer Bartov**, vir in Israeliâ natus et peritus Holocausti, istud facinus appellat *scelus scelerum*¹².

Opinatus eram Israeliam primis mensibus duobus commisisse belli gravia scelera bellica, - sed non genocidium -, quamquam in dies plura patefiebant indicia eius delicti, quod *Bartov* denominavit ducum Israeliae *finem genocidiale*¹³. Indutiis (d.24.-30. m.Nov. a.2023) finitis et impetu Israeliae renovato cognovi duces Israeliae profecto conari magnam partem Palaestinatorum Gazensium physicê delere.

Secundo: Quamquam haec Petitio austroafricana tantummodo refertur ad Israeliam, tamen enormiter valet ad Civitates Unitas, praesertim ad **Praesidem Bidenium** eiusque cooperatores praestantissimos. Quare? Quia vix ullum est dubium, quin gubernatio Bideniana culpam contraxerit genocidii adiuvandi, quod secundum Conventionem Genocidii etiam est facinus poenale.

12 <https://www.nytimes.com/2023/11/10/opinion/israel-gaza-genocide-war.html>

13 <https://mearsheimer.substack.com/p/death-and-destruction-in-gaza>



AUSTROAFRICANI ACCUSATORES ISRAELIAE

Praeses Bidenius, quamvis concesserit Israeliam Laciniam Gazeticam bombare „indiscriminatim“, etiam declaravit gubernationem Americanam *nihil facturam esse nisi protegerent Israeliam, non aliquam rem singulam*¹⁴. Huic promisso stetit, immo tantum progressus est, ut Congressum bis praeteriret ad arma Israeliae additicia quam celerrimê comparanda. Ut omittam effectûs iuridicos eius dictorum factorumque – *Bidenii nomen nomenque Americae in sempiternum coniungentur cum casu iuridico, quem verisimile est factum iri casum genocidii intentati libro didactico dignissimum.*

Tertio numquam putaram me diem visurum esse, quo Israelia, terra quae abundat hominibus Holocausti superstitem eorumque posterorum, reverâ accusatum iri genocidii. Quomodocumque haec causa coram *Foro Iudiciali Internationali* evadet – non dubito, quin Civitates Unitae et Israelia methodis quam versutissimis usurae sint ad processum causae iustum evitandum – certo scio Israeliam passim habitum iri pro auctore maximê responsabili unius ex casibus genocidii canonicis.

Quarto in documento austro-africano verbis effertur nullam esse causam, quâ credatur istud genocidium mox finitum iri, nisi *Forum Iustitiae Internationale* intervenerit efficaciter. Bis citantur verba *Beniamini Netaniahui* Ministri Israeliae Primarii d.25. m.Dec. a.2023 dicta, ut haec res efferatur: „*Non desinemus, pergemus pugnare, diebus proximis pugnas augebimus, haec pugna erit longa, nec mox finietur*“ (8, 82).

¹⁴ <https://www.motherjones.com/politics/2023/12/how-joe-biden-became-americas-top-israel-hawk/>



DEFENSORES ISRAELIAE

Speremus Austro-Africam et *Forum Iustitiae Internationale* istis pugnis finem esse impositura, sed generaliter potestas iudiciorum internationalium tales terras, quales sunt Israelia et Civitates Unitae, cogendi est restrictissima.

Denique Civitates Unitae sunt democratia liberalis, in quâ sunt multi homines eruditi, redactores ephemeridum, politici, scientistae, qui soleant studere iuribus humanis ubique terrarum protegendis. Qui solent inclinati esse ad magnâ voce reclamandum, si quae terrae committunt scelera bellica, imprimis, si Civitates Unitae aut una ex earum socia facinoris sunt participes. E contrario in casu genocidii Israeliani plerique homines iurum humanorum periti *fluenti praecipui*¹⁵ liberalis pauca tantum dixerunt de facinoribus Gazensibus crudelibus aut de sermone ducum Israeliae genocidiali. Spero eos aliquando explicaturos esse taciturnitatem suam, quâ sollicitor. Quacumque ratione Historia iisdem non favebit, quia vix ullum verbum dixerunt, cum natio sua particeps esset sceleris terribilis, quod commissum est coram omnibus.

**RELATIONEM
QUAM SCRIPSIT
JOHN J. MEARSHEIMER
DE GENOCIDIO GAZENSI
DEQUE ACCUSATIONE ISRAELIAE
AB AFRICA AUSTRALI FACTA
LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS**

15 *fluentum praecipuum* i.q. *mainstream*.

<https://consortiumnews.com/2023/11/22/chris-hedges-israels-war-on-hospitals/>

ISRAELIAM BELLUM GERERE CONTRA NOSOCOMIA



CHRIS HEDGES

*1956

d.22. m.Nov. a.2023

Christophorus Hedges, diurnarius Praemio Pulitzeriano honoratus prior relator ephemeridis, c.t. Tempora Neo-Eboracensia, in Oriente Propinquo versans, Israeliam accusat: Eam velle Laciniam Gazeticam facere inhabitabilem. Itaque eam ibidem destruere omnia nosocomia. Israeliae nuntium esse clarum et dilucidum: Qui manserit in Laciniâ Gazeticâ, morietur.

Israelia impetûs facit in nosocomia, non quia eadem sunt ‚centra imperatoria Hamasianorum‘. Israelia consulto atque systematicê destruit infrastructuram Gazae in margine *expeditionis terrae combustae*, ut faciat Laciniam Gazeticam inhabitabilem et crisin humanitariam exasperet. Israelia cogere vult 2,3 miliones Palaestinatorum, ut transgrediantur limitem in Aegyptum, unde numquam redibunt.

Israelia *Nosocomium Al-Shifa* in urbe Gazâ situm destruxit et paene totum exinanivit. Proximum erit *Nosocomium Indonesicum* in *Beit Lahia* situm. Israelia circa clinicum utitur harmatibus et vehiculis transportatoriis, in aedificium sclopetando 12 homines necavit.

Modus procedendi iam est nôtus. Israelia ex aeroplano supra nosocomium scidulas volaticas deicit, quibus homines admonentur, ut aedificium relinquunt, quia nosocomium sit basis *actionum Hamasianorum tromocraticarum*. Harmatibus et granatis partes parietum clinici absciduntur. Arcerae ruchetis Israelianis disploduntur. Fluentum electricum et aqua interrumpuntur. Missio medicamentorum obstruitur. Non iam sunt medicamenta analgetica neque antibiotica neque oxygenium. Homines maximê vulnerabiles, i.e. infantuli in armariis incubatoriis iacentes et graviter aegrotantes moriuntur. Milites Israeliani nosocomium evacuant et omnes homines cogunt sclopeto arrecto, ut aedificium relinquunt.

Sic factum est in *Nosocomio Al-Shifa*. Sic factum est in nosocomio infantium *Al-Rantisi*. Sic factum est in *psychiatrico clinico Gazae* praecipuo. Sic factum est in *Nosocomio Nasseriano*. Eadem facta sunt in aliis clinicis, quae ab Israeliâ destructa sunt. Et eadem fient in paucis nosocomiis adhuc relictis.

Israelia 21 ex 35 clinicis Gazensibus clausit, inter quae est unicum Gazae nosocomium oncologicum. Ea nosocomia, quae adhuc adhibentur, carent medicamentis aliisque materiis gravissimis. Unum clinicum post alterum destruitur. Mox nulla iam instituta medicinalia restabunt. Et istud fit consulto.

Aliquot decem milia Palaestinatorum sollicitantium, qui ab Israeliâ bombis iniciendis ex domibus suis sunt expulsi, refugium petunt contra bombationem indesinentem eo, quod in clinicis aut extra clinica habitant in tentoriis. Qui sperant Israelianos parsuros esse institutis medicinalibus. Si Israelia observaret Conventûs Genavenses, rectê sperarent. At Israelia non gerit bellum. Israelia exsequitur genocidium. Et genocidio populus et omnia, quibus eget, exstinguuntur.

Verisimile est Israeliam, si Laciniam Gazeticam vastaverit, impetum facturam esse in Palaestinos Cisiordaniam incolentes; dirum omen videtur, quod ibidem minimum quattuor nosocomia circumdata sunt vehiculis cataphractis. In *Nosocomio Ibn-Sina* et in *Nosocomio Hierosolymae orientalis* milites Israeliani disquisitionem exsequuntur.

Res publica Israeliae colonialis fundata est mendaciis, mendaciisque conservatur.

Et nunc, ubi Israelia consilium cepit funestum, ut exsequeretur trucidationem suam pessimam pessimamque purgationem ethnicam Palaestinatorum ex tempore *Nakbae*, i.e. summae calamitatis a.1948 factae, quâ 750.000 Palaestinatorum sunt victimae facta et in quâ militiae iudaicae circiter 50 strages commiserunt, in dies loquitur absurdus atque importunus. Israelia de Palaestinis loquitur, quasi sint multitudo bestiarum humanitatis expers. Non iam sunt matres, patres, liberi, magistri, medici, patroni, coqui, poetae, taxiraedarii, tabernarii. In lexico Israeliano Palaestini nihil sunt nisi animal contagiosum, quod exstirpandum sit. En aspice hoc scopocinematium discipularum Israelianarum, quae cantant: „*In Laciniâ Gazeticâ nos omnem exstinguemus*“. Tales cantilenae cantabantur a *Iuventute Hitlerianâ*. Illi, qui commissuri sunt homicidia massalia, mentiuntur, ne populus proprius perturbetur, victimas fallentes contendunt se non omnes necaturos esse, et impediunt, ne adiutores extrinsecus introveniant. Nacistae fallaciter contenderunt Iudaeos traminibus impositos in ergastulum vehentibus esse operarios et bene et sufficienter coli atque curari. Infirmos et aetate proveciores curatum iri in sanatoriis. Nacistae etiam specie instruxerunt *Theresienstadtiana* illa ergastula ostentatoria, in quibus cooperatoribus *Crucis Rubrae* aliarumque organizationum internationalium fraudulenter ostentaverunt, quam humanê tractarentur Iudaei in orientem deportandos, cum reverâ in ergastulis concentrationis miliones Iudaeorum delerentur.

- Minimum 664.000, fortasse 1,2 miliones **Armeniorum** trucidati sunt aut mortui sunt frigore et morbis et fame inter genocidium, quod Imperium Osmanicum commisit inter ver et autumnum anni 1916. Genocidium erga Armenios commissum haud minus publicum fuit quam genocidium Gazense. Legati Europaei et Americani fusê atque prolixê rettulerunt de purgatione Turciae modernae ab Armeniis. Gubernatio

Osmanica studens, ut genocidium occultaret, peregrinis interdixit, ne facerent photographemata profugorum Armeniorum aut cadaverum in marginibus viarum accumulatorum.

- Etiam Israelia diurnariis peregrinis interdixit, ne intrarent Laciniam Gazeticam, et tantummodo praebet perpauca visitationes breves et diligenter a militibus Israeliae praedispositas. Israelia iterum iterumque interrumpit coniunctiones interretiales et telephonicas. Israelia ex invasione Hamasianorum d.7. m.Oct. factâ interfecit minimum 43 (*eorum numerus cottidie augetur, adnotatio interpretis*) diurnarios Palaestinos, quorum multi procul dubio a militibus Israeliae de industriâ sclopetando necati sunt.

- Armenii, sicut Palaestini, expulsi sunt ex domibus suis, sclopetis interfecti, cibis et aquâ privati sunt. Armenii deportati in desertum Syricum missi sunt itinera mortifera facturi, ubi aliquot decem milia eorum aut sclopetis mortui sunt aut fame, cholera, malariâ, dysenteriâ, influentiâ.

- Israelia cogit 1,1 miliones Palaestinatorum, ut iter faciant in partem Laciniae Gazeticae australem et fugientibus inicit grandinem bombarum. Etiam ii profugi egent victualibus, aquâ, materiâ propulsoriâ, curatione sanitariâ. Etiam ii sunt epidemiis atque morbis contagiosis morituri.

- **Talat Pascha**, qui *de facto* duxit Imperium Osmanicum, ambasciatorem *Henricum Morgenthau* s.2. m.Aug. a.1915 certiore fecit his ferê verbis: „*Ratio nostra politica ad Armeniam spectans est absolutê definita nullâque re potest mutari. Armenios in Anatoliâ nusquam patiemur. Qui possunt vivere in desertis, sed nusquam alibi.*“

- Quo diutius durat genocidium, eo absurdiora fiunt mendacia.

Sunt *mendacia* Israeliana *maiora*. Israelia contendere perseverat destructionem Gazae et interfectionem insolentem aliquot milium Palaestinatorum nihil esse nisi conatum praedispositum se ab Hamasianis defungendi neque esse expeditionem eo fine faciendam, ut Laciniam Gazeticam vastarent et stragem ingentem et purgationem ethnicam in Palaestinos exercerent.

Sunt etiam *mendacia* Israeliana *minora*. 40 infantulos esse ab Hamasianis decapitados. *Nosocomium Al-Shifa* esse *Centrum Hamasianorum Imperatorium*. Calendarium arabicum parieti clinici affixum – ut ait *Daniel Hagari* archithalassus – esse *horarium vigilandi, cui nomen suum inscriberet omnis tromocrates, et omnem tromocratam habere propriam vicem, in quâ homines praesentes observaret et custodiret*. Histrionissa Israeliana, quae vestimentis nosocomae induta sermone Arabico loquitur crasso accentu israeliano, contendit se esse medicam Palaestinam et vidisse Hamasianos usos esse hominibus civilibus tamquam scutis humanis. Membra Hamasiana *impetum fecisse in Nosocomium Al-Shifa* et furata esse „*materiam propulsivam et medicamenta*“. *Necnon pugnatores Palaestinos tela iaculatos esse in Nosocomium Al-Shifa*. Israelia contendit se telum iaculatam esse in autocinetum „*plenum tromocratarum*“, qui postea inventi sunt esse tres puellae et mater et avia.

Displosio illa prope *Nosocomium Al-Ahli* facta ab Israeliâ contenditur effecta esse ruchtâ a Palaestinis falso directâ; quae explicatio propter signum pistilli temporarii addubitata est a diurnariis *Temporum Neo-Eboracensium*. Israelia dixit „*se reagere a*

*directore Nosocomii Shifa rogatam, ut homines Gazenses civiles, qui in nosocomio refugium petivissent et ex eo vellent evacuari, per axin securum sinerent humanitatis causâ per limitem transire. Haec verba non esse a se dicta dixit **Mohammed Zaqout**, director generalis clinicorum Gazensium. Îdem addidit haec: „Sclopetis arrectis coacti sumus, ut nosocomium relinqueremus.“*

Jonathan Conricus in quodam scopocinematate, quod a BBC (radiotelevisione Britannicâ) acriter vituperatum est, monstravit acervulum sclopetorum automaticorum, qui tamquam manu magicâ accrescebat usque ad montem, ubi primum relatores peregrini veniebant ad monstrationem participandam. Postea milites Israeliani hoc scopocinematium deleverunt.

Mendacia inscribentur libris Israeliae didacticis. Mendacia ab Israelianis politicis, historicis, diurnariis repetentur. Mendacia in televisione Israelianâ cinematibusque Israelianis et libris narrabuntur. Israelianos esse victimas aeternas. Palaestinos esse malum absolutum. Nullum fuisse genocidium. Turcia enim saeculo post adhuc infitetur id quod accidit Armeniis.

Temporibus bellicis homines credunt ea quae volunt credere. Mendaciis fames saturatur Israelianorum, qui conflictum putant esse pugnam *inter filios lucis filiosque tenebrarum*. Mendacia sunt vallum protectorium, quo impeditur, ne Israelia rationem reddat facinorum sui. Nam si Israelia se a realitate abdicat, non cogitur, ut realitatem investigans facinora sua ad obrussam exigat. Mendaciis autem fit dissonantia cognitiva. Factum fit fictio, fictio fit veritas. Mendaciis impeditur omnis disputatio de genocidio aut de placatione atque reconciliatione.

Israelia administratione Bidenianâ nixa perget omnia delere quibus vita Gazensis servatur. Clinica. Scholas. Electrificinas. Apparatus aquae potoriae parandae. Fabricas. Officinas agriculturales. Struices habitaculorum. Domûs. Deinde Israelia ipso eodem modo ac genocidae priores simulabit se numquam fecisse genocidium.

Mendaciis, quae Israelia adhibet, ut se liberet a responsalitate suâ, societas Israeliana devorabitur. Quibus dissociabitur eius vita moralis, religiosa, intellectualis, politica. Mendaciis auctores scelerum bellicorum tamquam heroes celebrabuntur et illi, qui sunt adhuc conscientiae participes, daemonizabuntur.

Genocidium ab Israeliâ commissum fiet, sicut homicidia massalia a.1965 in Indonesiâ facta, mythos pugnae epicae contra vires mali et barbariae. Ipso eodem modo Americani illud genocidium Aboriginum Americae ad mythum redegerunt et colonos turmasque equitum homicidiales celebraverunt, quasi essent heroes.

Homicidae qui Bello Indonesico contra communismum pugnaverunt, hodie in congregationibus celebrantur et praedicantur esse redemptores. Qui in colloquio interrogantur de pugnis suis putativê heroicis, quae ferê 60 iam annos transacta sunt. Israelia ipso eodem modo se geret. Se ipsam deformabit. Scelera sua celebrabit. Malum permutabit in bonum. Vivet in mytho a se ipsâ conficto. Veritas, ut in omnibus dominationibus, in exilium mittetur. Israelia, quae Palaestinis videtur esse monstrum, etiam sibi ipsi fiet monstrum. ---

**RELATIONEM
QUAM
CHRIS HEDGES
SCRIPSIT
DE PUGNA ISRAELIAE
CONTRA NOSOCOMIA
FACTA
LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS**

<https://uncutnews.ch/lasst-sie-dreck-fressen/>

»SINITE ISTOS DEVORARE SORDEM «



uncut-news.ch [Februar 13, 2024](#)

Scrispit [Chris Hedges](#), Latinê reddidit [Leo Latinus](#)

Nunc incohata est ultima phasis genocidii Israeliani in Laciniâ Gazeticâ committendi, quod est esurialis internecio ingentis multitudinis hominum praedispositum. Communitas Internationalis non vult istud genocidium impedire.

Numquam fieri potuit, ut gubernatio Israeliana assentiretur pausae pugnandi ab **Antonio Blinken** Ministro rerum externarum propositae, ne dicam de indutiis. Israelia est assecutura summitatem belli, quod in Laciniâ Gazeticâ gerit contra Palaestinos: ingentis multitudinis hominum **internecionem esurialem**.

Cum duces Israeliae loquuntur de *victoriâ absolutâ*, sentiunt et internecionem et extinctionem totalem. Nacistae a.1942 in vico clauso Varsoviensi systematicê curaverunt, ut 500.000 virorum et mulierum et infantium fame perirent. Israelia hunc numerum vult superare.

Israelia eiusque fautor gravissimus, Civitates Unitae Americae, conantes claudere **Agentiam Profugis Palaestinis Adiuvandis**, quae infert in Laciniam Gazeticam victualia et materias adiutorias, non solum committunt scelus bellicum, sed etiam flagranter transgrediuntur **Forum Iudicii Internationale**. Iudices querelam Africae australis genocidii causâ prolatam dictis et factis **Agentiae Profugis Palaestinis Adiuvandis** (UNWRA) comprobaverunt.

Qui dixit Israeliae, ut sex remedia observet, quibus genocidium impediretur et calamitas humanitaria mitigaretur. Quarto remedio Israelia admonetur, ut statim comparet efficacia adiumenta humanitaria et ministraciones fundamentales in Laciniâ Gazeticâ adhibendas.

Ex relationibus ipsius **Agentiae** de statu rerum Gazensium, de quibus per septem annos rettuli relator diurnarius, et ex documentis impetuum Israelianorum importunorum clarê patet, ut dixit **Agentia**, „zonas unilateraliter securas declaratas nequaquam esse securas. Nullus locus Gazensis est verê securus.“

Gubernatio Israeliana irascitur, quod **Agentia Profugis Palaestinis Adiuvandis** multum valuit ad documenta genocidii et adiumenta Palaestinatorum comparanda.

Iudicio *Fori Iustitiae Internationalis* facto *Beniaminus Netaniahuus* huic *Agentiae* obiecit, quod Foro attulisset informationes falsas.

Agentia Profugis Palaestinis Adiuvandis, quae iam ex decenniis 5,9 miliones profugorum Palaestinatorum totius Orientis Propinqui adiuvat clinicis, scholis, victualibus, Israeliae exosa videtur esse tollenda. Israelia hanc Agentiam destruere vult et fine politico et materiali. Crimina Agentiae illata minimê demonstrata, quibus Israeliani contendunt decuriam quandam ex 13.000 cooperantibus commercium habuisse cum auctoribus attentationum diei 7. m.Oct., effectum habuerunt sat gravem. Nam ista cum innotuissent, 16 magnae nationes donatrices, inter quas fuerant Civitates Unitae, Regnum Unitum, Germania, Italia, Batavia, Austria, Helvetia, Finnia, Australia, Canada, Suetia, Aestonia, Iaponia desierunt Agentiam mittere adiumenta sua, quibus paene omnis Palaestinus Gazensis eget ad se nutriendum. Ex d.7. m.Oct. Israelia 152 cooperatores Agentiae Profugis Palaestinis adiuvandis interfecit et 147 instituta huius Agentiae afflixit. Israelia etiam bombas iniecit in autoplaustra adiumenta afferendi huius Agentiae.

Plus 27.708 Palaestinatorum in Laciniâ Gazeticâ interfecti sunt, circiter 67.000 vulnerati, minimum 7.000 desiderantur, quos verisimile est mortuos esse sub ruderibus et parietinis sepulti. Secundum *Nationes Unidas* in Laciniâ Gazeticâ plures quam dimidius milio Palaestini – quartus quisque – esuriunt, et fames mox imperabit ubique. Palaestinis Gazensibus, quorum minimum 1,9 miliones intra Laciniam Gazensem sunt ex habitaculis suis expulsi, non solum desunt nutrimenta sufficientia, sed etiam aqua pura et mansiones et medicamenta. Vix adsunt poma et holera. Vix adest farina, quo panis coquatur. Collyrae, caro, caseus, ova evanuerunt. Pretia mercium siccarum, velut lentium et fabarum in mercatu furtivo sunt cum pretiis antebellicis comparata vicies quinquies exaucta. Pretium sacci farinae in mercatu furtivo exauctum est ab octo dolariis ad ducenta dolaria. Systema valetudinis in Laciniâ Gazeticâ, ubi ex 36 nosocomiis tria tantum partim operantur, magnam partem est collapsum. Circiter 1,3 Palaestini e sedibus expulsi vivunt in viis stratis urbis **Rafah** australis, quae ab Israeliâ declarata erat *zona segura*, sed interim bombatur. Familiae pluviâ hiemali madefactae frigent sub pannis tenteriorum mediis in lacunis, quae completae sunt defluviis non purgatis. Circiter 90% 2,3 milionum incolarum Lacinae Gazeticae ex domibus suis sunt expulsi.

Alexander de Waal, director Foundationis Pacis Mundanae Universitatis Tuftsianae et auctor symbolae ipsius „*Guardian*“ ephemeridis Britannicae, quae spectat ad Historiam calamitatum esurialium: „*Ex Bello Mundano Altero*“ inquit, „*nullus fuit casus, quo populus tam celeriter impulsus sit in summam famem miseriamque*“- „*Neque est ullus casus, in quo officium internationale talem calamitatem sistendi tam certum et clarum fuerit.*“ Civitates Unitae, quae olim dederant *Agenturae Profugis Palaestinis Adiuvandis* symbolas plurimas, a.2023 dederunt 422 miliones dolariorum. At eo quod nunc adiumenta Americana sublata sunt, effectum est, ut victualia ab Agentiâ missa, quae propter israelianas obstructiones iam fuerunt valdê diminuta, mense Februario exeunte aut Martio ineunte maximam partem deerunt.

Israelia Palaestinis Gazensibus duas concessit possibilitates: aut abibunt aut morientur.

A.1988 rettuli de fame Sudanensi, quâ 250.000 hominum sunt mortui. Striae pulmonum meorum sunt cicatrices tuberculosis, quâ infectus sum inter aliquot centum Sudanianos tuberculosi infectos et postea mortuos. Ego cum essem robustus et sanus, infectioni potui resistere. Illi cum essent infirmi et strigosi, non potuerunt. Communitas Internationalis illo tempore, sicut nunc in Gazâ, vix aliquid fecit, ut morbum impugnaret.

Plerique Palaestini iam affecti sunt *subnutritione* gradu initiali *famis*. Ii, qui esuriunt, non habent sat multas calorias energiae, quibus se nutriant. Homines desperati incipiunt degluttire pabula bestiarum, gramina, folia, insecta, bestias rosorias, immo sordem. Laborant ex diarrhoeâ et viis respiratoriis infectis. Exiguas reliquias ciborum discissas dividunt in portiones. Quia non habent satis multum ferri, ut haemoglobinum, proteinum erythrocytis insitum, quo oxygenium ex pulmonibus in corpus transportetur, et myoglobinum, proteinum, quo musculi oxygenium accipiant, fabricentur, mox fiunt anaemici, et praeterea iis deest vitaminum B1. Corpus nutritur a se ipso. Telae et musculi deminuuntur. Fieri non iam potest, ut temperatura corporis reguletur. Renes desinunt operari. Systema immunitatis collabitur. Organa essentialia – cerebrum, cor, pulmones, ovaria, testiculi – deminuuntur. Circuitus sanguinis retardatur. Volumen sanguinis deminuitur. Morbi contagiosi, quales sunt typhus, tuberculosis, cholera fiunt epidemici, ut aliquot milia hominum moriantur. Fieri non potest, ut homo fame morbosâ laborans animum attendat ad certam rem faciendam. Victimae enectae et strigosae et maceratae rarius cogitant et sentiunt et fiunt apathicae. Neque volunt tangi neque moveri. Myocardium est debilitatum. Victimae statu sunt quietis sive defectûs cordis virtualis. Vulnere non iam sanescunt. Facultas videndi deminuitur cataractâ oculorum, etiam in ipsis iuvenibus. Denique homo afficitur convulsionibus et hallucinationibus et consistit.

Hic processus in homine adulto potest durare maximum per 40 dies. Infantes et senes et aegroti moriuntur celerius. Vidi aliquot centum figuras hominum sceletis similia, phantasmata humana, quae lentissimê se movent per plāgas sudanenses egenas. Hyaenae, quae consueverunt devorare carnem humanam, solebant mordere infantulos. In margine vicorum, ubi decuriae hominum infirmiores quam ut currerent, gregatim deponerentur neque umquam resurrexerant, stabam supra acervos ossium hominum expallescens. Multae erant reliquiae integrarum familiarum. In urbe *Mayen Abun* relictâ ex vacerris tecti ecclesiae missionis Italianae dependebant vespertiliones. In viis luxuriabant fasciculi graminum.

Orbita appulsoria immunita circumiecta erat aliquot ossibus humanis, craniis, reliquiis armillarum ferrearum, margaritarum versicolorium, corbium, frustis vestium discissarum. Palmae erant in duas partes dissectae. Homines folia et pulpam fructuum comederant.

Rumor fuerat victualia aeroplano allatum iri. Homines per dies cucurrerant ad orbitam appulsoriam. Exspectabant et exspectabant et exspectabant. At nullum aeroplanum advolavit. Nemo mortuos sepelivit.

Nunc observo ea quae fiunt ex longinquo in aliâ terrâ, alio tempore. Nôvi socordiam fatalem, quâ *Sudanesis*, praesertim *Dincis*, exitio facta est, et hodie exitio fit Palaestinis. Pauperes, praesertim cum sint cutis fuscae, non numerantur. Moriuntur tamquam muscae.

Fames Gazensis non est calamitas naturalis. Quae est ab Israeliâ praedisposita. Erunt homines docti et historici, qui scribant de isto genocidio et falso credant nos posse discere ex rebus praeteritis, nos, cum simus alii, ab historiâ impediri posse, ne denuo fiamus barbari. Instituent conferentias academicas. Dicent: „*Ne istud umquam iterum!*“ Laudabunt se ipsos, quia sint humaniores et cultu civili meliore imbuti. At si tempus erit monere de novo genocidio, timentes, ne honores suos muneraque sua academica amittant, tamquam ratti se abdent in foramina sua. Historia generis humani est unum magnum facinus atrocissimum pauperibus infirmisque hominibus huius mundi illatum. Genocidium Gazense est eiusdem capitulum novum.

RELATIONEM
QUAM
CHRIS HEDGES
SCRIPSIT
DE FAME PALAESTINORUM
AB ISRAELIA EFFECTA
C.T. *Let Them Eat Dirt*
LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS

<https://www.anti-spiegel.ru/2023/die-wahren-gruende-fuer-den-krieg-in-gaza/>

Oleum et gasum

et pugna contra Russiam facienda

Verae causae Belli Gazensis quae sint

Bellum Gazense reverâ geritur de oleo et gaso deque conflictu geopolitico, qui fit inter Civitates Unitas Americae et Russiam. Hocine tibi videtur incredibile? Si lêgeris, et tibi persuadebitur, nam manifestissimum est hoc, sed reticetur a diurnariis occidentalibus.



THOMAS RÖPER (*1971)

Scripsit **Thomas Röper** *redactor* *Anti-Speculi*, *Latinê reddidit* **Leo Latinus**
d.25. m.Nov. a.2023 h.13:24

Iam pridem volui symbolam scribere de ingenti campo oleario atque gasico ante lîtus Lacinae Gazeticae sito, qui est vera causa Belli Gazensis. Usque nunc autem occasio mihi non fuit satis subtiliter investigare fontes atque testimonia. Nolo alienis gloriari bonis, nam a quodam amico mihi missa est symbola a Russo histologistâ¹ scripta, qui rem diligenter indagatam divulgavit. Eius symbolâ fontibusque usus addidi proprias cogitationes et cognitiones.

Antecedentia huius belli incipiunt a.1995

Scilicet antecedentia huius belli etiam quaeri posse ante plus centum annos aut in re publicâ Israeliae condendâ et in suppressione Palaestinatorum inde sequenti, sed talis investigatio esset nimis generalis. Conflictus enim praesens radicibus est multo manifestioribus.

¹ **histologista*, -ae m. *Blogger*. Minus elegantius nonnulli auctores neolatini solent dicere **blogarius*. Habeant sibi - ego pace illorum praefero graecismum barbarismo.

Antecedentia Belli Gazensis hodierni incipiunt a.1995. D.28. m.Sept. a.1995 Vassintonii subscriptum est **Pacto Osloensi 2**, quo cum cetera tum praecipuê Palaestinae ius conceditur, ut suâ sponte *divitias sôli*² suas adhibeat. D.5. m.Oct. eiusdem anni parlamentum Israelianum pactum ratificat³.

Quattuor annis post Palaestina foedus facit cum Britannicâ negotiatione BG (Britannicum Gasum), nam Gubernatio Palaestina vult quaerere, num divitiae sôli sint in fundo maris prope Laciniam Gazeticam sito. BG, quod explorationis geologicae est specialiter peritum, suscipit hoc mandatum.

Anno 1999 BG invenit thesaurum extraordinarium: Quae negotiatio Britannica ante Palaestinam, 20 miliaris marinis a litore remotos campos gasi et olei uberrimos. Relatio conferentiae **Commissionis Nationum Unitarum Commerci et Incrementi Oeconomici** a.2019 factae continet numeros accuratos. Specialistae Commissionis Nationum Unitarum copias gasi palaestinensis aestimant habere 122 biliones pedum cubicorum et 1,7 miliardas barilia⁴ olei. A.2017, quo documentum ad hanc conferentiam spectans est scriptum, pretia divitiarum sôli palaestinensium aestimata sunt haec: 453 miliardae dolariorum est pretium **gasi** et 71 miliardae dolariorum est pretium **olei**.

Quia hoc est magni momenti, repeto: Copiae gasi atque olei ante litus Lacinae Gazeticae sitae, quae Pacto Osloensi sunt possessiones Palaestinarum, secundum pretia anni 2017 fuerunt pretio plus unius bilionis dolariorum, ut accuratius dicam 524 miliardarum dolariorum. Inflatione monetali aliisque factoribus respectis campi gasi atque olei ante litus Gazeticum siti hodie pretio sunt plus 600 miliardarum dolariorum.

A.2002 Palaestina assentitur proposito Gasopolii Britannici (BG), quo haec negotiatio in Laciniâ Gazeticâ infrastructuram construat ad gasum extrahendum et pertractandum et incipiat construere gasiductum, prasertim in Europam dirigendam. Israelia hoc recusat, quia gasiductus dirigeretur per regionem, quae ab Israeliâ custoditur. Loco huius propositi Israelia Palaestinae praebet alteram solutionem: ut Palaestini gasum afferant Israeliae pretio interno, ut Israelia gasum exportet in Europam. Scilicet Palaestinam hoc praebitum recusare.

2 **divitiae sôli** theod. *Bodenschätze*. angl. *mineral resources*; fr. *richesses minières*; hisp. *riquezas del subsuelo*; ital. *ricchezze del sottosuolo*; dacorum. *bogățiile pământului/ale solului*; neogr. *ὕπεδαφικοί θησαυροί, ὀρυκτά*.

cfr PLIN.nat.V 88 Palmyra, urbs nobilis situ, **divitiis soli** et aquis amoenis, vasto undique ambitu harenis includit agros...

3 **+ratificō**, -āre cfr <http://ducange.enc.sorbonne.fr/RATIFICARE>: „**RATIFICARE**, Ratum habere, quod actum est approbare, confirmare, Gall. *Ratifier*. Laudavit, approbavit et Ratificavit, in Charta ann. 1370. ex Archivo Prioratus S. Johannis Tolos. Ord. Melit. Rursus occurrit in Diplomate ann. 1228. apud Ludewig. tom. 5. Reliq. MSS. pag. 433. in Literis ann. 1284. apud Rymer. tom. 2. pag. 288. in aliis ann. 1351. apud eumd. Rymer. tom. 5. pag. 703. in Epistola Clementis IV. PP. ad S. Ludovicum, tom. 6. Spicil. Acher. pag. 428.“

4 **+barile**, is n. i.q. angl. *barrel*. Mittellateinisches Wörterbuch I 1375,2743.

Haec omnia per annos aguntur frustra, cum iterum iterumque una pars sclopetat aut ruchetas iaculatur in alterum.

Somnium Gazae „Horti florentis“

A.2007 cum ceteris tum praecipuê Civitatibus Unitis urgentibus Gazae fiunt suffragia, e quibus Hamasiani evadunt superiores. His autem suffragiis, sive placet sive displicet, factio Hamasiana facta est gubernatio Laciniae Gazeticae ratione democraticâ legitimata. At Civitates Unitae Americae, cum resultatum suffragiorum, quae ipsae postulaverant, sibi displiceret, recusaverunt, ne Hamasianam gubernationem comprobarent ritê electam. Hamasiani autem a.2007 potestatem assecuti promittunt se urbem Gazam mutaturos esse in „*Hortum florentissimum*“.

At deinde Israelia instruxit custodiam maritimam, quâ omnia studia Palaestinatorum infrastructuram construendi impedivit. D.27. m.Dec. a.2008 exercitus Israelianus impetum fecit in Palaestinam. Palaestina se defendit, etiam ruchetis. At Israelia est robustior et importunior. Diurnarii ephemeridis ipsius „*Guardian*“ Britannicae aestimant octogenas ternas centesimas (83%) mille quadringentarum (1400) victimarum Palaestinarum (313 infantibus inclusis) fuisse homines civiles.

Caput autem rei est Israeliam istâ operatione, quam appellat *PLUMBUM FUSUM*⁵, magnam partem Laciniae Gazeticae destruere et regionem marinam Laciniae Gazeticae affinem contra ius gentium contraque pacta priora suam facit possessionem. Gasopolium Britannicum (BG) grapheum suum Gazense claudit, ne involvatur isti perturbationi. Ab a.2008 usque ad a.2022 inceptum gasi oleique extrahendi manet frige factum, quia iterum iterumque fiunt collisiones militares.

Displosio gasiductuum *Nordstreamianorum* fuisse signale belli incohandi

D.26. m.Sept. a.2022 – brevi demum ante, id est secundum rationes industriae oleariae et gasicae, quae solet incepta sua praedisponere per longiora spatia temporis per brevi demum tempore ante - gasiductûs *Nordstreamiani*, qui possidentur a Russiâ et Germaniâ, sunt displosi. Etiam si diurnarii occidentales conantur demonstrare Ucrainam esse auctricem istius displosionis, tamen ubique terrarum vix quisquam dubitat, quin haec displosio effecta sit a *Civitatibus Americae Unitis*.

Europa nunc habet problema energiae accipiendae.

Aestate a.2023 Civitatibus Unitis mediatricibus conventûs fiunt ad campum gasicum Gazeticum excolendum. **D.18. m.Iun. a.2023 *Beniaminus Netaniahuus*** officialiter

5 »**PLUMBUM FUSUM**« (hebraicê מצע עופרת יצוקה *Miwta Oferet Jetzuka*, nomen confictum est secundum cantilenam puerilem Israelianam festo Chanukka cantandam), fuit operatio militaris Militiae Israelianae (IDF) contra instituta et membra Hamasianorum in Lacinîa Gazeticâ posita. Haec operatio incohata est d.27.m.Dec. a.2008 impetibus aeriis Israeliae et finita est d.18. m.Ian. a.2009 declaratione indutiarum unilaterali Israeliae. Israelia causam affert huius impetûs militaris aliquot milia ruchetarum quassamianarum et catiusianarum ex Lacinîa Gazeticâ in Israeliam per annos iniectarum. Diurnarii has pugnas appellaverunt bellum. Operatio PLUMBI FUSI fuit septima controversia bellica in Lacinîa Gazeticâ facta et impetus aerius gravissimus conflictûs Orientis Propinqui post Bellum Sex Dierum anni 1967 et ante conflictum anni exeuntis 2023.

declarat se permittere inceptum campi olearii explorandi, sed non commemorat Palaestinam: „*Hoc inceptum est necessarium, ut praestentur rei publicae Israelianae securitas atque auctoritas*“.

Eodem die **Ismail Rudwan** locutor Hamasianus declaravit haec quae sequuntur:

„*Nos confirmamus gentem nostram Gazensem habere ius **divitiarum sōli** suarum.*“

Etiam homo rerum politicarum imperitus facile intellegit, quid valeant haec dicta inter se coniuncta: Israelia dicit „*Hae 600 miliardae sunt nostrae*“, Palaestina dicit „*Nequaquam, hae divitiae sōli sunt nostrae*“. Istud fuit **signale Belli Gazensis incohendi**.

Agitur de 600 miliardis dolariorum; oportet hoc accuratius explicemus: Cum Palaestinae *Productum Domesticum Integrum* (GDP = BIP) complectatur 18 tantum miliardas dolariorum, pro captu huius terrae summa 600 miliardarum est ingens et incomprehensibilis; quā acceptā Palaestini possent repetere „*miraculum Dubaiense*“. Palaestina fieri posset paradus secundum exemplum *Dubaii* - i.e. philotheoriā aliisque rebus excolendis assequi similem opulentiam.

Bellum incohatur et Israelia attribuit permissiones gasi oleique extrahendi

D.7. m.Oct. Hamasiani impetum faciunt in Israeliam. Israelia respondet. Denuo fit caedes ingens. Diurnarii, cum sollicitē referant de rebus bellicis, vix animadvertunt complures eventūs politicos, qui sunt maximi momenti.

D. 30. m.Oct. a.2023 Israelia, cum milites sui sint superiores et immineat impetus terrestris in Laciniā Gazeticā faciendā, sex complexibus mercatoriis attribuit permissiones gasi extrahendi eo loco ipso, qui secundum Pactum Osloense spectat ad Palaestinam. Ut dicam clarē et dilucidē: Postquam bellum incohatum est, Israelia, non Palaestina attribuit negotiationibus internationalibus permissiones gasi in aquis Gazensibus extrahendi. Una ex negotiationibus, quae acceperunt permissionem, est BP (Petroleopolium Britannicum). Diurnarii ephemeridis, c.t. *Tempora Israeliae*, refert de hac permissionis attributione magnā cum inflammatione animum.

Minister Britanniae primarius qualem personam gesserit



RISHI SUNAK

*1980



AKSHATĀ MŪRTY

*1980

D.30. m.Oct. a.2023, i.e. eodem die, **Rishi(us) Sunak(us)**, Minister Britanniae Primarius, dimisit **Paulum Bristow** consiliarium gubernationis, quia îdem postulaverat indutias in conflictu israeliano-palaestino.

Minister Britanniae Primarius mirê se gessit eo quod rem procrastinavit neque locutus est de indutiis in regione Gazeticâ faciendis. De facto **Sunakus** fovit consilium ab Israeliâ captum, quo eadem expugnare cupiebat totam Laciniam Gazeticam necnon illam marginem eiusdem marinam. Quaeras, quare?

Responsum est satis simplex: Negotiatio technologiae informaticae, quae appellatur **Infosys**, aestate a.2023 cum Petroleopolio Britannico (BP) mercaturam fecit 1,5 miliardarum dolariorum; negotiatio **Infosys** possidetur ab **Akshata Murty** miliardariâ, quae est uxor **Rishii Sunaki**..

Ceterum eodem tempore **Sunakus** tradidit plus centum permissiones campos olei et gasi explorandi, qui siti sunt in Mari Germanico (quid de energiis renovabilibus deque Prasinâ mutatione energeticâ, cui dedita erat etiam gubernatio Britannica?).

Maximum usumfructum habiturum esse BP (Petroleopolium Britannicum)

Diurnarii non intellegere videntur **Sunakum** fovere commoda Petroleopolii Britannici eo quod indutias Gazenses impedit. Sed **Rishius Sunakus** adiuvat operationem Israeliae militarem, cuius finis est custodia Laciniae Gazeticae completa. Eo quod **Rishius Sunakus** adiuvat operationem Israeliae militarem, non solum prodest commodis Britannicis, sed etiam Americanis, nam Petropolium Britannicum magnum numerum habet actionariorum Americanorum, praesertim **Vanguard**, **Blackrock**, **JP Morgan**. Ergo manifestum est agi etiam de commodis Americanorum complexuum mercatoriorum; inde etiam explicatur, quod gubernatio Bideniana quamvis vehementer intra Americam vituperata perpauca tantum facit ad scelera Israeliae bellica Gazensia impedienda.

Purgatio ethnica necessaria

Inde etiam patefit ista scelera bellica, i.e. bombationes hominum civilium Gazensium indiscriminatim factas, quibus interim 15.000 Palaestini civiles (quorum dimidia ferê pars sunt infantes) mortui sunt, non commissa esse solâ crudelitate: isto terrore iniciendo Israelia vult Palaestinos commovere, ut Gazam relinquunt, ut Israelia in possessionem veniat Laciniae Gazeticae necnon camporum olei et gasi.

Israeliam velle in Laciniae Gazeticae possessionem venire perpetuam, iam ex initio patefactum est eo, quod militia Israeliana primo postulavit, ut Palaestini urbem Gazae relinquerent versus meridiem profecti et deinde iterum iterumque postulavit, ut Aegyptus sineret Palaestinos iter facere e Laciniâ Gazeticâ.

Itaque critici ex initio Israelio obiecerunt eandem velle in Laciniâ Gazeticâ exsequi purgationem ethnicam et hanc regionem continuo tenêre occupatam.

Apparet causam, quâ Israelia nunc hoc facit, non esse commoda securitatis neque odium erga Palaestinos caecum, sed nihil nisi divitias olei et gasi ante lîtus Gazae sitas.

Distributio mercatûs europaei nova

Purgatione ethnicâ factâ extractio campi gasici poterit statim incohari et gasiductus adhibebitur loco illius Nordstreamiani gasiductûs displosi, antequam Russia et Germania Bello Ucrainico finito et fortasse novâ gubernatione in Germaniâ electâ aliquando tam proximê inter se appropinquent, ut gasiductus Nordstreamianus reparetur et denuo adhibeatur. Sed ante hanc reparationem Europa iam habebit novos missores gasi: *BP (British Petrol)* Britannicum et *ENI (Ente Nazionale Idrocarburi)* Italicum, sed non iam *Gazprom* Russicum.

Civitates Unitas et Britanniam Magnam esse competitrices Francogalliae

Ceterum gubernationes Americana et Britannica hîc denuo Francogalliae incommodaverunt. Recorderis mercaturam navium submarinarum, quae primo decreta erat a Francogalliâ et Australiâ, sed deinde ab Australiâ sublata est, quia eadem novi foederis, q.d. AUKUS, unâ cum Civitatibus Unitis et Britanniâ Magnâ particeps facta earum naves submarinas sibi mandavit emendas. Porro recorderis praxicopema¹ in Nigritaniâ factum, in quo Civitates Unitae subito a Francogalliâ se averterunt, ut eadem denique copias suas abduceret, cum sedes Americae militaris in Nigritaniâ remaneret. Praxicopemate Nigritaniensi auctoritas Francogalliae in Africâ occidentali graviter debilitata est, sed America auctoritatem suam retinuit.

Quaeris, quare mercaturâ campi olei Gazensis Francogalliae incommodatum sit?

Aliter ac illo tempore in campis Libyae oleariis vendendis nunc, cum campus olei et gasi ante Gazam positus venaliter prostaret, nullus Francogalliae complexus mercatorius partem emere potuit. Num haec est causa, cur *Macronus* unus ex paucis politicis Europaeis sit, qui ab Israeliâ postulaverit, ut operationem suam militarem Gazensem et bombationem incolarum civilium saevissimam finiret?

Ut dicamus dilucidê: Cum homines ubique terrarum imaginibus hominum civilium interfectorum et calamitate Gazae humanitariâ aliisque atrocitatibus sint consternatissimi, cum his rebus factis societas diffindatur et homines cogantur, ut statuam, ab utrâ partium stent, post siparia distribuitur mercatura lucrosissima 600 miliardarum dolariorum. ***Tam simplex est ratio geopolitica.***

Bellum Gazense esse elementum pugnae contra Russiam faciendae

Causa Belli Gazensis non est religio, ne historia quidem, neque tromocratia. Nihil istorum, quae nuntiantur a diurnariis occidentalibus, aliquid valet.

Causae, quibus hic conflictus Palaestinae et Israeliae est eruptus, sunt pecunia et divitiae sôli, quibus Civitates Unitae et Britannia Magna hîc tempore ipso egent ad bellum vicarium contra Russiam gerendum. Nam unum manifestum est: Eaedem nationes copias gasi palaestinas quam celerrimê volunt extrahere cum aliis tum praecipuê, quia impedire volunt, ne gasiductûs nordstreamiani post nonnullos annos animis placatis restaurati denuo adhibeantur.

1 *praxicopēma, -atis n. *Putsch, Staatsstreich.*

Credat quispiam ista verba diurnariorum Germanorum politicorumque gubernationis (cuius membra Prasina semper gasiductûs Nordstreamianos respuebant, sed non gasum aliud) de Israeliae *iure se ipsam defendendi*. *Credat quispiam* Israeliam impetu Hamasianorum reverâ prorsus necopinatam obstupefactam esse – quamvis hoc iam ex initio fuerit maximê dubium.

At prudentius videtur esse recordari omnia illa bella a Civitatibus Unitis aliisque occidentalibus nationibus his decenniis gesta, in quibus semper agebatur de divitiis sôli (de oleo et gaso iraciano, syrico, etc.) - sed istud diurnarii occidentales numquam apertê elocuti sunt, sed loco considerationis sinceræ hariolati sunt de „*democratiâ, de iuribus humanis, de libertate deque opulentiâ*“, quae bello gerendo afferrentur populis putativê suppressis.

Haec autem est causa, cur diurnarii occidentales silentio obtegant verisimile esse militiam Israelianam ipsam effecisse magnam partem mortium hominum Israelianorum, nam sub praetextu atrocitatum ab Hamasianis commissarum gubernatio Israeliae rationem reddit purgationis Gazae ethnicae.

Si nunc totam hanc historiam ratione geopoliticâ consideraveris ante recessum conflictûs, qui fit inter Civitates Unitas unâ ex parte et Russiam Chinamque alterâ ex parte, fines agendi fiunt etiam manifestiores.

Civitates Unitae volunt Russiam continuo depellere ab energiâ Europaeis praebeandâ et, cum in Sinu Persico auctoritatem amiserint, plus quam umquam antea egent aliis divitiis olei et gasi magnis possidendis et dispensandis.

Ratio geopolitica generaliter est disciplina simplex, nam semper agitur de pecuniâ et potestate. Etiam in Laciniâ Gazeticâ, sed hõc silentio obtegunt diurnarii occidentales.

Post Scriptum: Primis commentariolis Lectorum acceptis debeo nonnulla iterum explicare verbisque efferre.

Primo: Campus gasi Gazensis, si cum aliis comparatur, haud valdê magnus est, sed mirarer, si 600 miliardae dolariorum non essent causa belli gerendi. Accedit, quod europaeis complexibus mercatoribus huius campi gasici participibus Israelia tandem potest Palaestinos (sine ullâ reclamazione Europaeorum) ex Laciniâ Gazeticâ expellere – ut tandem id facere possit, quod iam pridem somniavit.

Secundo: Oportet rem consideres cum aliis divitiis sôli gasicis huius regionis: Dum Palaestini in Laciniâ Gazeticâ vivunt et iterum iterumque fiunt pugnae, extractio gasi in totâ regione semper in periculo versatur. Palaestini eâdem ûti possunt, ut Israeliam concutiant, ubi primum Europa erit obnoxia gaso importando ideoque potius parata erit concedere Palaestinis minantibus.

Tertio: Etiam gasiductus in Europam directus scilicet spectare ad omnes copias gasi huius regionis, non sôlum ad hunc campum Gazensem. Et iterum valet: Dum Palaestini Gazae erunt neque ulla pax stabilis erit in hac regione, tota infrastructura eoque surrogatio gasi Russici in Europâ periclitaretur, quo etiam investitores

absterrerentur. Scilicet causam esse, quâ Israelia permissiones gasi oleique extrahendi bello demum ineunte attribuerit, cum patefieret *problema Palaestinae* solutum iri necnon lucrum accipi posse 600 miliardarum.

CONCLUSIO: 600 miliardae dolariorum bona causa sunt, quâ *problema Gazae* solvatur et - obiter tantum – *Russia gasi praebitor* in tempus longius *ex Europâ* expellatur.

**RELATIONEM
QUAM
THOMAS RÖPER
SCRIPSIT
DE VERIS CAUSIS
BELLI GAZENSIS
LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS**

<https://www.anti-spiegel.ru/2024/israel-will-in-rafah-eine-massive-operation-durchfuehren/>

1,5 millones homines civiles versari in summo periculo

ISRAELIAM IN URBE RAFAH VELLE EXSEQUI „OPERATIONEM GRAVISSIMAM“

In urbe Rafah, ultimâ urbe Laciniae Gazeticae, quam Israelia nondum obsedit, Israelia nunc exsequi vult operationem gravissimam, quamquam ibidem 1,5 miliones hominum civilium vivunt in spatium artissimum redacti. Quid de gubernationibus occidentalibus? Reclamantne? Nequaquam.



**BENIAMINUS NETANIAHUUS ISRAELIAE MINISTER PRIMARIUS OSTENTAT
CHARTAM GEOGRAPHICAM „NOVI ORIENTIS MEDII“: IN EADEM DESUNT
LACINIA GAZETICA ET CISIORDANIA, I.E. REGIONES PALAESTINORUM**

scripsit Thomas Röper, Latinê reddidit Leo Latinus

d.10. m.Febr. a.2024 h.17:02

*Nuntius qui allatus est d.9. m.Febr., parum sufficienter describitur, si appellatur „terrificus“.
Speculum Hammaburgense rettulit haec:*

*„Nunc Benjaminus Netaniahuus minister primarius ducibus militum mandavit, ut elaborarent
consilium urbis Rafah de incolis evacuandae. Invasio militum videtur imminere.*

Netaniahuus dixit in urbe Rafah necessariam esse »operationem gravissimam«. Se rogasse officiales securitatis, ut proponerent »consilium duplex«, quo praedisponeretur evacuatio urbis ab incolis civilibus et operatio militaris ad Hamasianos pugnaces reliquos »discutiendos«.

1,5 miliones hominum in vitae discrimine versari

Ut intellegas, quid iste nuntius valeat, aspice chartam geographicam. Exercitus Israelianus expugnavit iam ferê totam Laciniam Gazeticam. Destructio eius peior est quam fuit in Germaniâ exeunte Altero Bello Mundano. In parte Lacinae Gazeticae boreali destructae sunt plus 80% (octogenae centesimae) domorum. Homines ex Septentrione Lacinae Gazeticae in meridem expulsi nunc artissimê constipati vivunt in urbe *Rafah*, quae est ultima urbs Lacinae Gazeticae nondum obsessa. In hac urbe, quae ante bellum habuit incolarum circiter 300.000, nunc vivunt ferê 1,5 miliones hominum inclusorum. Modo nuntiatum est auxilia humanitaria allata non sufficere nisi ad denas centesimas (10%) hominum Gazensium aliquatenus curandos et nutriendos. Hominibus imminet mors fame necnon siti effecta, quia aqua potabilis in dies rarescit.

At Israelia impedit, ne plura adiumenta humanitaria afferantur. Id quod gubernatio Israeliana facit, non aliud dici potest nisi *genocidium saltim imminens*.

Purgatio ethnica et genocidium

Et istud est etiam *purgatio ethnica*. *Organizatio Nationum Unitarum* (UNO) id, quod Israelia facit, iam mense Decembri ineunte denominavit „*expulsionem gentis Palaestinae maximam inde ex a.1948*“. Gubernatio Israeliana vult Laciniam Gazeticam a Palaestinis *purgare*. Nisi homines evaserint, iisdem imminebit mors aut fame aut siti aut bombis Israelianis effecta.

Iam diu fuerat nôtum Gubernationem Israelianam in Laciniâ Gazeticâ velle exsequi *purgationem ethnicam*. De istâ re rettuli iam d.13. m.Oct., sex tantum diebus post belli initium, sed diurnarii Germanienses istud verbum malum evitant.

Gubernatio Israeliae apertê dicit se velle Palaestinos ex patriâ eorum expellere et ex bello ineunte postulat, ut Aegyptus aperiat limites suos et sinat duos ferê miliones hominum civilium ex Laciniâ Gazeticâ ire in terram suam. At Aegyptus recusat, ne hoc faciat, *primo* quia non vult adiuvere purgationem ethnicam et *secundo*, quia vix potest duobus milionibus profugorum tecta et nutrimenta prospicere.

Israeliam velle Laciniam Gazeticam ratione ethnicâ „*purgare*“, ibidem etiam apertê a multis membris gubernationis dicitur; iam d.30. m.Oct., nondum mense post belli eruptionem elapso, Israelia distribuit *permissiones extrahendi ad campos gasicos* adhibendos, qui siti sunt ante lîtus Lacinae Gazeticae. At diurnarii in Germaniâ operantes haec omnia silentio obtegunt.

„Evacuatio ab incolis“ urbis Rafah

Mirum est diurnarios *Speculi Hammaburgensis* aliorumque publicaminum¹ occidentalium non vituperare Gubernationem Israelianam sed nihil afferre nisi eius verba ipsa. Cum *Netaniahuus* dicat se curare consilium urbis *Rafah* evacuandae exarandum, diurnarii occidentales non quaerunt, quonam homines expelli possint. Nam in Laciniâ Gazeticâ est nulla urbs alia, quae capiat 1,5 miliones hominum.

Id quod *Beniaminus* hîc annuntiavit, erit, si ad effectum adducetur, *genocidium annuntiatum*, nam homines nullum iam in locum poterunt effugere. *Netanyahuus* videtur in praesenti tractare *solutionem quaestionis Palaestinorum finalem*. Scio haec verba – ipso sermone theodisco dicta – esse provocatoria, sed mihi quamvis vehementer muginanti in mentem non veniunt alia verba, quibus denominem id quod *Beniaminus* annuntiavit.

Modo nuntiatum est *Netaniahuum* annuntiavisse operationem in parte Lacinae Gazeticae australi exsequendam finitum iri usque ad d.10. m.Mart. Tum sciemus, utrum usus sim verbis convenientibus an immoderatis.

**DE CONSILIO
URBIS **RAFAH** EVACUANDAE
A **BENIAMINO NETANIAHUO** CAPTO
RETTULIT
THOMAS RÖPER
LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS**

¹ *pūblicāmen, -inis n. *Medium*. e.g. *pūblicāmina *typographica i.q. theod. *Printmedien*. *diurnārius, -ī m. *Journalist*; +cōnferentia diurnāria *Pressekonferenz*; ācta diurna (n.pl.) sive ephemeris, -idis f. *Zeitung*.

LUMEN RUBRUM: AMALECH

Scriptis *Knut Mellenthin*, Latinê reddidit *Leo Latinus*



ECCE PROELIUM AB ISRAELITIS CONTRA AMALECITAS GESTUM
(imago a.1728 picta)

D.28. m.Oct. a.2023 in conferentiâ diurnariorum simul a Televisione Israelianâ transmissâ impetu in Laciniam Gazeticam terrestri ineunte **Beniaminus Netaniahuus** recitavit verba ex **TANACH** (תנ"ך) sive Bibliâ Sacrâ excerpta: »Memento quae fecerit Amalech in viâ, quando egrediebaris ex Aegypto: quomodo occurrerit tibi...«, et perrexit loqui: »Nos meminimus et pugnamus.«

Haec verba Beniamini cum multis verbis politicorum aliis, in **Libello Querelae** ab Africâ Australi in **Hagensi Foro Iustitiae Internationali** proposito afferuntur indicio, **quod Israelia in Laciniâ Gazeticâ bellum gerat finibus genocidalibus**.

D.16.m.Ian. a.2024 grapheum Ministri Primarii declaravit interpretationem huius loci biblici ab Africâ Australi propositam esse »**falsam et absurdam**« et testari »**inscientiam Historiae profundam**«.

Locus biblicus a **Beniamino** allato inest capitulo vicesimo quinto libri Mosis quinti, qui appellatur **Deuteronomium** sive hebraicê **Dewarim** (דברים i.q. verba). Textus eiusdem completus est hic qui sequitur:

VULGATA Dt 25,17-19

»**Memento quae fecerit tibi Amalech in viâ**, quando egrediebaris ex Aegypto: quomodo occurrerit tibi et extremos agminis tui qui lassi residebant ceciderit, quando tu eras fame et labore confectus et non timuerit Deum. Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem et subiecerit cunctas per circuitum nationes in terrâ, quam tibi pollicitus est, **delebis nomen eius sub caelo. Cave ne obliviscaris!**«

Amalech multis locis ipsius *Tanach* commemoratur. Agitur de gente *Deserti Negeviensis*, quae extra Bibliam non invenitur cuiusque existentia nullâ ratione scientificâ – e.g. archaeologicâ – demonstrata est. In litteris iudaicis est »*Amalech*« nomen generale omnium hostium capitalium, qui imminent existentiae Iudaeorum collectivae eamque velint delere.

In capitulo 17 alterius libri Mosis, i.e. *Exodi* (hebr. תִּמְשׁוֹ *schemot* i.q. nomen) narratur, quomodo Amalecitae (hebr. אֲמָלֵק *‘amālēq*) ab Israelitis ex Aegypto in »*terram Canaan*« profectis funditus devicti sive potius trucidati sint: De fine proelii, quod protractum est usque ad solis occasum, dicitur quadam cum brevitate gravissimâ: »*Fugavitque Iosue Amalech et populum eius in ore gladii*«. De impetu autem Amalecitarum in agmen novissimum facto, qualis commemoratur in contextu loci a Beniamino allati, in altero libro Mosis non narratur.

VULGATA Ex 17, 8-16

Vênit autem Amalech et pugnabat contra Israhel in Raphidim. Dixitque Moses ad Iosue: »Elige viros et egressus pugna contra Amalech! Cras ego stabo in vertice collis habens virgam Dei in manu meâ.« Fecit Iosue ut locutus ei erat Moses et pugnavit contra Amalech. Moses autem et Aaron et Hur ascenderunt super verticem collis. Cumque levaret Moses manûs, vincebat Israhel. Sin autem paululum remisisset, superabat Amalech. Manûs autem Mosi erant graves. Sumentes igitur lapidem posuerunt subter eum in quo sedit. Aaron autem et Hur sustentabant manûs eius ex utrâque parte et factum est, ut manûs ipsius non lassarentur usque ad occasum sôlis. Fugavitque Iosue Amalech et populum eius in ore gladii. Dixit autem Dominus ad Mosen: »*Scribe hoc ob monumentum in libro et trade auribus Iosue. Delebo enim memoriam Amalech sub caelo*«. Aedificavitque Moses altare et vocavit nomen eius ,*Dominus exaltatio mea*‘ dicens, quia manûs solii Domini et bellum Dei erit contra Amalech a generatione in generationem.

Is autem locus biblicus, qui maximê valet ad *Querelam Austroafricanam*, invenitur in capitulo 15. primi libri Samuelis:

VULGATA 1Sm 15, 2-3

Haec dicit Dominus exercituum: »Recensui quaecumque fecit Amalech Israheli, quomodo restitit ei in viâ, cum ascenderet de Aegypto. *Nunc igitur vade et percute Amalech et demolire universa eius! Non parcas ei, sed interfice a viro usque ad mulierem et parvulum atque lactantem, bovem et ovem, camelum et asinum.*«

Hoc mandatum Dei spectat ad Saulem, primum regem Israeliae secundum traditionem biblicam, cuius existentiae historicae nullum est indicium. Capitulo autem 15. primi Libri Samuelis procedente narratur Saulem omnes ceteros Amalecitas curasse interficiendos, sed pepercerit rêgi *Agag* necnon »*optimis gregibus*

ovium et armentorum et vestibus et arietibus et universis, quae pulchra erant«. Deinde Deum Prophetam Samuelem misisse ad Saulem, ut eum certiores faceret se mandatu suo neglecto »scidisse Regnum Israel a te hodie et tradidisse illud proximo tuo meliori«. Hoc spectat ad Davidem successorem Saulis.

Beniaminus Netaniahuus contendit se d.28. m.Oct. locutum esse de **Amalech** prorsus simpliciter atque generaliter extra contextum biblicum. At tamen duabus sententiis ante dixerat mandatum esse militibus Israeliae »**ut istud malum ex mundo extirparent**«.

**DE AMALECITIS
EORUMQUE NOMINIS
USU MODERNO
RETTULIT
KNUT MELLENTHIN
RELATIONEM
LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS**

BENIAMINUS RIVALES ADMONET SE ESSE „A DEO ELECTUM“

Naftali Bennett novus Minister Primarius respondet publicâ invocatione Dei Omnipotentis. Scripsit *Redactio Israel Heute*, Latinê reddidit *Leo Latinus* d.13. m.Iun., a.2021 h.12:47 pm



BENIAMINUS NETANIAHUUS SUSPICIT AD DEUM, UT DOMINATUM SUUM LEGITIMET

Feliciter accidit *Beniamino Netaniahu*, ut mutatio gubernationis Israeliae forte fortunâ fieret die anniversario obitûs ipsius *Menachem Mendel Schneerson (1902-1994)*, i.e. **RABBINI LUBAVICIANI**. Eo modo Beniaminus occasionem nactus est competitores suos politicos *ea* admonendi, *quae* Rabbinus, qui a nonnullis *Motionis Chabadianae* asseclis habetur pro Messiâ, eidem Neo-Eboraci dixerat ante decennia.

Netaniahuus frugittivit: “Recordor nonnullas adnotationes, quas *Rabbinus Lubavicianus* mihi dixit: ‘Pugnare debetis cum 119 hominibus [i.e. omnibus ceteris membris *Cnessetiae*, i.e. parlamenti Israeliani], sed certê istâ re non perturbaberis, nam Deus stat ab hac parte [i.e. tua]. Sint tibi benedictio atque successus prosperrimus. Deus te benedicet et faciet, ut res tibi succedat feliciter”.



ג' תמוז ואני נזכר בדברים שאמר לי הרבי מליובאוויטש: "אתה תצטרך להיאבק עם 119 אנשים, בוודאי לא תתרשם מזה כיוון שהקב"ה בצד הזה. ברכה והצלחה, נתינה של הקב"ה ברכה והצלחה".

pic.twitter.com/FvhbtRjHk9 — Benjamin Netanyahu (@netanyahu) June 13, 2021

<https://www.israelheute.com/erfahren/lubawitscher-rebbe-nach-bibi-kommt-der-messias/>

Naftali Bennett visus est nuntio *Netaniahui* respondere propriâ friguttitione, in quâ novus Minister Primarius apparet iudaico anaboladio precatorio (טלית, *tallith*) obvolutus et benedictione sacerdotali instructus:

"Deus te benedicat teque protegat; Deus faciat ut facies sua luceat super te tibi que sit propitius; Deus tollat faciem suam super te tibi que donet pacem."

בְּרַכְךָ ה' וְיִשְׁמְרְךָ

יְאֵר ה' פְּנֵי אֱלֹהֵיךָ וְיַחַנְךָ

יְשֹׁא ה' פְּנֵי אֱלֹהֵיךָ וְיִשֶׁם לְךָ שְׁלוֹם. pic.twitter.com/ISij7TgyPC

— Naftali Bennett בנט (@naftalibennett) June 13, 2021

Deus et Biblia Sacra pergunt valere ad rationem Israeliae politicam, etiamsi politici Israeliani nimis saepe provocant ad Deum Omnipotentem, ut legitiment ambitiones suas proprias.

**RELATIONEM
QUAM PERIODICUM
»ISRAEL HEUTE«
SCRIPSIT
DE BENIAMINO A DEO ELECTO
LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS**

BENIAMINUS TERRIBILIS



ECCE

BENIAMINUS TERRIBILIS (*1949)

GAZAE VASTATOR

PALAESTINORUM TRUCIDATOR

CONCIVIUM SACRIFICATOR

MANDATI LUBAVICIANI FIDELIS EXSECUTOR:

**»MESSIAS NONDUM ADVENIT. ERGO FAC ALIQUID,
UT EIUS ADVENTUS ACCELERETUR!«**

<https://www.israelheute.com/erfahren/lubawitscher-rebbe-nach-bibi-kommt-der-messias/>

MYTHI ANTIQUITATIS CLASSICAE PULCHERRIMI

A GUSTAVO SCHWAB ENARRATI
A LEONE LATINO TOGA ORNATI



GUSTAV SCHWAB
(1792-1850)

Die schönsten Sagen des klassischen Alterthums.

Nach seinen Dichtern und Erzählern. S. G. Liesching, Stuttgart 1838–1840:

- Bd. 1. S. G. Liesching, Stuttgart 1838. ([Digitalisat und Volltext](#) im [Deutschen Textarchiv](#))
- Bd. 2. S. G. Liesching, Stuttgart 1839. ([Digitalisat und Volltext](#) im [Deutschen Textarchiv](#))
- Bd. 3. S. G. Liesching, Stuttgart 1840. ([Digitalisat und Volltext](#) im [Deutschen Textarchiv](#))

DE OEDIPODE

<https://www.projekt-gutenberg.org/schwab/sagen/sch1533.html>

Revelatio



Per longum tempus secretum formidulosum latebat incognitum, et Oedipus, qui, quamvis nonnullis esset animi vitiis, tamen erat rex bonus atque iustus, in Thebanos regnabat felix et dilectus cum Iocastâ connubio coniunctus. At denique dei pestilentiam miserunt in terram, quae in populo coepit crudeliter saevire et cuius nullum erat remedium efficax. Thebani ad malum horribile evitandum, quod eis visa est poena a caelestibus missa, tutelam petiverunt domini suum, quem putabant apud deos esse gratiosum. Viri et mulieres, senes et infantes, primo ordine sacerdotes ramos olivae tenentes, apparuerunt ante palatium regium, consederunt circa gradûs arae, quae ante palatium stabat, et exspectaverunt dominum suum. Cum Oedipus concursu civium excitatus ex arce suâ regiâ exiens interrogaret, quid causae esset, quâ tota urbs completa esset fumo sacrorum et lamentatione, nomine omnium ei respondit sacerdos maximus natu: „*Vides ipse, o Domine, quantâ miserîâ opprimamur: Pascua atque campi aduruntur fervore intolerabili; in domibus nostris saevit lues tabifica; frustra urbs studet ex undis cruentis perniciei caput emergere. Istâ in egestate fugimus ad te, Rex dilectissime. Tu nos redemisti a censu mortifero, quo vaticinatrix trucissima decumas nobis imposuerat. Certê hoc non est factum nisi cum auxilio deorum. Itaque tibi confidimus te nobis auxilium inventurum esse sive deorum sive hominum*“. Tum Oedipus: „*Miseri filii*“ inquit, „*bene scio, quae sit*

causa precum vestri supplicum. Scio vos aegrotare; sed neminis animus tam vehementer aegrotat quam mei. Nam animus meus non solum ingemiscit singulis, sed toti urbi. Itaque me non tamquam dormientem e somno excitatis, sed in animo investigavi remedia et denique puto me aliquod invenisse. Nam Creon levir meus a me est Delphos missus ad Apollinem Pythicum, ut rogaret quo opere aut quo facinore urbs posset liberari.“

Adhuc rex loquebatur, cum etiam Creon in multitudinem iit et coram populo regem certiore faceret de nuntio oraculi. At idem nuntius fuit parum consolabilis: „*Deus imperavit, ut nefas, quod terra recepit, eiceretur neve id coleretur, quod nullâ purgatione lui posset. Nam terram premi caede régis Laii gravi parricidio.“*

Oedipus nullo modo suspicans illum senem a se occisum esse eundem, cuius causâ populum suum puniri irâ deorum, sivit sibi narrari régis interfectionem, sed tamen remansit mens eius obcaecata. Declaravit autem se prospecturum esse illi mortuo sepeliendo populumque congregatum dimisit. Deinde per totam terram edixit, si quis quid accepisset de Laii interfectore, omnia ut indicaret; etiam si quis in terrâ peregrinâ versans aliquid sciret de hac re idque indicavisset, ei merces atque gratiae urbis ut darentur.

E contrario is, qui amici gratiâ sollicitus taceret et culpam conscientiae a se amoliretur, is ut excluderetur ab omni sacro, ab epulis sacrificialibus, immo a commercio et colloquio concivium. Denique Oedipus ipsum homicidam exsecratus est obtestationibus formidulosis, eidemque exoptavit summam necessitatem summumque malum per totam vitam ferenda necnon perniciem. Et ista ut illi acciderent, etiamsi ad focum régis viveret occultê.

Praeterea duos nuntios misit ad *Tiresiam* vatem caecum, qui intellectu atque inspectu occultorum paene aequaret Apollinem vaticinantem. Tiresias autem mox apparuit manu pueri dirigentis ductus coram rège et concilio populi. Oedipus ei rettulit de curâ dolorosâ, quâ tota terra vexaretur. Rex rogavit Tiresiam, ut arte suâ vaticinandi adhibitâ se adiuveret homicidam investigantem.


At voce doloris eruptâ Tiresias manûs in regem erigens, ut malum averteret: „*Horribilis est scientia, quae scienti nihil afferat nisi malum! Sine me domum reverti, rex; perfer tu tua et sine me ferre mea!“*

Nunc Oedipus etiam magis urgebat vatem; et homines, qui eum circumsistebant, regem supplices imploraverunt. Cum Tiresias non paratus esset ad plura explicanda, Oedipus rex irâ incensus eum increpitans dixit Tiresiam esse caedis Laii conscium, immo subadiuvam. Se tantummodo caecitate vatis impediri, ne crederet eum solum homicidium commisisse. Istâ criminatione soluta est lingua prophetae caeci. Tiresias: „*Oedipus“* inquit, „*oboedi vaticinio tuo proprio. Ne alloquaris me, neve ullum alium ex populo. Nam tu ipse es nefas, quod hanc urbem contaminet! Ita est, tu es interfector régis, tu es ille, qui cum carissimâ convivis exsecrabiliter.“*

At Oedipus cum verê obcaecatus esset, vatem dixit esse magum, praestigiatores insidiosissimum; etiam Creontem fratrem uxoris in suspicionem adduxit et ambos

accusavit se conspirasse in sedem regiam, de quâ sutelis suis pellere vellent se, servatorem urbis.

At nunc Tiresias eum etiam accuratius appellavit patricidam et coniugem matris necnon vaticinatus est ei miseriam imminentem et abiit irascens manu ducis parvi ductus. Interim etiam accurrerat Creon princeps accusatus et inter eum et regem exorta erat rixa vehemens, quam Iocasta rixantibus se interponens frustra conata est disceptare. Deinde Creon a fratre uxoris discessit non placatus et irâ incensus.



TIRESIAS CAECUS: - eius facultates vaticinandi ab Oedipode irridentur, - novit plenam veritatem, - videt occultata.

OEDIPUS VIDENS: - est mente acutâ, - nihil videt nisi externa, - non totam veritatem comprehendit, - caecus est erga veritatem

Etiam caecior quam rex ipse fuit eius uxor Iocasta. Quae vix ex ore mariti acceperat Tiresiam eum dixisse interfectorem Laii, cum magnâ voce exsecrata est vatem atque vaticinium: „En vide“ inquit „marite, quam pauca sciant vates; cognosce hoc exemplo! Maritus meus prior etiam olim acceperat oraculo se moriturum esse manu filii. At ille in quadrivio occisus est a catervâ praedonum, et filius noster unicus pedibus colligatis in montes vastos abiectus est summum tres dies natus. Sic explentur vatum vaticinia!“

Haec verba, quae regina dixit irridens, ad Oedipodem omnino aliter valuerunt quam ea exspectaverat. Rex: „In quadrivio“ quaesivit „Laius cecicit? O dic mihi, qualis fuit eius statura, eius aetas?“ Iocasta respondit non intelligens, cur maritus esset tam excitatus: „Magnus fuit, primi cincinni seniles eius caput ornaverunt; tibi ipsi, mi marite, staturâ atque aspectu haud absimilis“. - „Tiresias non est caecus, Tiresias potest videre!“ Oedipus territus nunc clamavit, cuius mens subito, tamquam fulgure illuminata est. At ipsâ rei atrocitate commotus est, ut pergeret perscrutari, quasi

necessarium esset, ut quaestionibus suis responsa darentur, quibus ista coniectura horribilis, quam invênit, subito demonstraretur esse falsa. At omnes circumstantiae inter se convenerunt, et denique Oedipus accepit servum, qui effugisset, totum homicidium nuntiasse. Eundem autem servum, ubi primum Oedipodem vidisset in sede regiâ sedentem, urgenter rogavisse, ut mitteretur in pascua rêgis ab urbe quam remotissima.

Oedipus cupivit servum videre, et îdem rure arcessitus est. At antequam servus adveniret, apparuit nuntius Corintho veniens, qui Oedipodi nuntiavit patrem eius mortuum esse eumque vocavit ad sedem terrae regiam orbatam occupandam. Hôc nuntio audito regina iterum dixit triumphans: „*Dicta deorum altissima, ubi estis? Pater, quem dicitur Oedipus occidisse, leniter obiit senilitate!*“

Aliter hic nuntius effecit ad regem Oedipodem magis pium, qui, quamvis adhuc mallet Polybum habere pro patre suo, tamen non comprehendit, quonam modo oraculum non expletum esset. Neque voluit Corinthum ire, quia Merope mater eius adhuc vivebat et adhuc fieri poterat, ut altera pars oraculi, id est connubium maternum, ad effectum adduceretur. Haec autem dubitatio mox ei ablata est a nuntio. Qui fuit îdem vir, qui multis annis ante infantem neonatum a servo Laii in Monte Cithaerone accepit eiusque calces perforatos et colligatos solverat. Nuntius facile rêgi demonstravit eum esse tantummodo alumnum, quamvis heredem rêgis Polybi Corinthii. Oedipus quodam instinctu obscuro inductus iussit venire illum servum Laii, a quo ipse infans Corinthio traditus erat. A servis suis certior factus est illum esse eundem pastorem, qui, cum e caede Laii effugisset, nunc prope limitem pecora rêgis pasceret.

Iocasta cum haec audivisset, maritum populumque congregatum reliquit magnam êdens vocem dolorosam. Oedipus, qui consulto conatus est visum suum obscurare, falso interpretatus est uxoris abitum. Coram populo: „*Certê illa*“ inquit „*cum sit mulier plena superbiae, abit ne inveniatur me esse ex stirpe ignobili oriundum. At cum mihi persuasum sit me esse filium felicitatis, nequaquam me pudet originis meae!*“

Nunc pastor ille senex apparuit, qui ex longinquo erat arcessitus et a viro Corinthio statim recognitus est îdem, qui ei olim puerum in Monte Cithaerone tradiderat. Pastor senex terrore pallidus omnia voluit denegare; minis demum Oedipodis irati, qui iussit eum restibus vincire, tandem dixit vera: Oedipodem esse filium Laii atque Iocastae, eum horribili vaticinio divino parricidii suas in manûs esse traditum, sed se misericordiâ affectum illius vitam servavisse.

IOCASTAM ET OEDIPODEM SE IPSOS PUNIRE



Omnia quae antea dubia fuerant nunc fuerunt certa, revelata erat res atrocissima. Insano clamore sublato Oedipus se proripuit, per palatium erravit, gladiumque postulavit, ut monstrum, quod simul esset et mater sibi et uxor, extirparet. Quia îdem furens ab omnibus evitabatur, atrociter ululans se contulit ad cubiculum, valvas conclusas dirupit et raptim invasit. Cursus eius impeditus est aspectu formiduloso. Hîc enim conspexit Iocastam supra lectum laqueo suspensam, gulâ fractâ, discissis capillis volantibus. Cum uxoris corpus mortuum diu aspectavisset torpidis oculis, appropinquavit gemens et rugiens, funem sursum tractum demisit, ut cadaver in pavimento collocaretur. Cum uxor ante eum esset prostrata, ex eius vestimento fibulas pectoris aureas eripuit, easdem manus dextrae inclusas sustulit, oculos suos exsecratus, ut numquam spectarent ea quae ipse erat factururus atque passurus, eosdemque auro acuto perfodiebat, dum bulbis oculorum perforatis ex cavernis sanguis proflueret. Deinde postulavit, ut sibi obcaecato porta aperiretur, ut educeretur, ut toti genti Thebanorum monstraretur parricida et matris maritus, ira caeli terraeque monstrum. Ministri desiderium eius expleverunt, sed populus dominum olim amatum et cultum receperunt sine ullo taedio, sed magna cum misericordia. Ipse Creon, uxoris frater, quem laeserat iniusta suspicione, approperavit, non ut Oedipodem irrideret, sed ut virum execratione onustum ex lumine sôlis et conspectu populi eductum liberis suis commendaret. Tantâ clementiâ animus Oedipodis commotus est. Fratri uxoris tradidit sedem regiam, ut eandem servaret filiis adhuc nimis iuvenilibus, et rogavit matri suae miserrimae sepulchrum, filiabus suis matre orbatis tutelam rēgis novi; sibi ipsi autem petivit, ut ex terrâ expulsaretur, quam duplici facinore nefario immaculaverat, et ut exilium in monte Cithaerone degeret, quem iam parentes sibi

destinaverant sepulchrum, et ubi nunc aut vivere aut mori vellet, secundum deorum voluntatem.

Deinde iussit filias venire, quarum voces semel saltim audire voluit, et manum imposuit earum capitibus innocentibus. Creontem benedixit pro caritate, quam is sibi praestitisset quamvis immerito, eidem omnique populo exoptavit, ut melius a dis protegerentur quam illi se ipsum protexissent.

Deinde Creon eum domum reduxit, et is, qui nuper adhuc servator Thebarum praedicatus erat, rex potentissimus, cui multa milia hominum oboediverant, Oedipus, qui aenigmata arcanissima perscrutatus erat et sêro demum suae vitae solverat aenigma horribile, nunc par mendico caeco per portas urbis suae patriae migraturus erat ad limites regni sui.



MYTHUM OEDIPODIS
A GUSTAVO SCHWAB
THEODISCE NARRATUM
TOGA VESTIVIT
LEO LATINUS

ECHUS VOCES & EPISTULAE

MAXIMILIANUS PULCHER MYSTAGOGUS AUGUSTANUS

d.24. m.Febr.a.2024 h.15.25

Maximilianus Augustanus Nicolao Sendensi, Leoni Latino salutem plurimam dicit.

Nunc tandem scribendi otium mihi est, ut de conventu latinizantium, qui nuper Monachii factus est, pauca ad te referam. De rebus levissimis et inanibus refero. Nam nihil praeter expectationem accidit.

Sex viri fuimus (nulla femina), qui quinta hora post meridiem ad columnam Marianam, ut constitutum fuerat, ab diversis caeli partibus convenimus. Ego Augusta Vindelicum, ceteri Garchinga, Ickinga, Starenberga, Fürstenried, Scongava. Tu si adfuisses, certe ex cunctis longinquissimus fuisses. Sodales ex tua parte medullitus salutavi. Christianus nos levissima ambulatione ad cauponam libariam duxit, in quam devertimus et pittas Neapolitanas, quae cunctae sapidae et sine carnibus erant, comedimus. Mirum fuit, quod inter nos lingua Latina colloquentes cum copa, quae ministeria faciebat, lingua Anglica loqui debuimus. Post cenam, cum nobis loquendi et confabulandi materia satis superque esset, ad aliam quandam cauponam transmigravimus, ubi potiones assumpsimus. Potiones nostrae tam fluide quam verba nostra Latina solute et facile fluxerunt. Vesper nobis iucundissimus fuit. Mihi nona hora vespertina proficiscendum fuit, ut tramen Augustanum assequerem. Quam diu ceteri sodales post discessum meum in caupona sederint, adhuc nescio. Sed constituimus, ut certis quidem temporibus, at non statis spatiis rursus ad colloquendum conveniamus. Te in tempore, quando proximum colloquium Monachense futurum sit, certiore faciam. Consuetudinem nostram Monachium conveniendi non intermitteremus.

Haec pauca. Fortasse, si epistolam in Leone Latino publicas, novi advenae experiendi cupidi ad circulum nostrum advenient. **Opto, amice, ut haec septimana tibi feliciter beateque exeat. Vale!**

d.24. m.Febr.a.2024 h.17.12

Nicolaus Maximiliano suo s.

Gratias plurimas, mi care Maximiliane, pro epistolio tuo bellulê scripto. Quod attinet ad argumenta et elocutionem, praefero lepidam simplicitatem sollemnitati turgidae. Statim inserui verba tua manuscripto Epistulae Leoninae; fiet symbola propria loco bene visibili collocata, ut tirones exemplo tuo percepto discant Latinê scribere. Usus sum litteris cursivis (*Segoe Script*), quae habent formam familiariorum et iucundiorum quam capitalis quadrata.

Proximo die Saturni futuro sub reservatione Iacobeâ faciam acroasin meam zoomianam. Loquar de novis verbis Latinis fingendis, horâ quintâ p.m. Bene spero te vacaturum esse verbis meis audiendis - estne ita?

In praesenti ultimam manum impono Leoninae 287; utinam cras in lucem editam accipias et perlegas quam maturrimê, ut scribas mihi de argumentis huius Epistulae Leoninae copiosae quidquid tibi in buccam venerit. Haec hactenus brevissimê, mox certê plura. Utinam *Margarita* soror tua quam optimê reconvalescat! Salutes, quaeso, eam a me. Pancraticê et basilicê valeant tu tuique. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.25. m.Febr. a.2024 h.22:58

LEO LATINUS MAXIMILIANO SUO MYSTAGOGO PERITISSIMO S.

En vide quid scripserit Nicolaus de Mico: Signum electronicum, quo indito intrabis in Systema ZOOM et audies et spectabis acroasin meam. Haec brevissime, mox certe plura. Pancratice vale. Medullitus te salutat **LEO LATINUS**.

d.27. m.Febr. a.2024 h.09:47

Maximilianus Nicolao suo salutem plurimam dicit.

Gratias tibi pro clave et ligamine, quo tuam acroasim audire poterimus. Die Saturni adero, si mihi mihi hac clave contigerit, ut spatium intrem et in systemate adsim. Novissimam Epistulam Leoninam autem nondum lucem publicam aspexisse opinor. **Vale multum!**

d.27. m.Febr. a.2024 h.11:30

Nicolaus Maximiliano suo optimo s.

Utinam clavis rectê operetur! Novissimam Leoninam hodie, ut bene spero, perficiam. Quae est sat copiosa (habet ferê 200 paginas). Utinam bene accipias. Haec raptim, mox plura. **Medullitus Nicolaus.**

ANSGARIUS OSLOENSIS

d.22 a.2024 h.0:32

Nicolaus Ansgario suo sal.pl.

Care Ansgari, accepistine Epistulam Leoninam novissimam, id est 286? Insunt multae epistulae Osloenses dignae laude et admiratione. Vale semper et scribe mihi quidquid tibi in buccam venerit. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

d.26. a.2024 h.13:46

Nicolao Ansgarius salutem

Non sine delectatione perlegi commentarios meditationesque, quas de rebus cynegeticis trifariam conscripsit Naevius Sartorius, qui ex animi conspectu venatoris cultum civilem modernum sat subtiliter vituperat. Nostra enim aetate, homunculi morosi ac sui immodici amantes necnon deorum infitiores transcendentiam plane recusant, quippe qui iam mundum sublunarem ex animi sententia perversa plasmare frustra conentur. Sane operam suscipiunt inanem, et in propositum delirum nituntur incassum, homines rerum inconstantium avidissimi, nam quomodo in mundo in perpetuum mutabili homuncio commutabilis variusque sed immortalis aetatem ageret, non dilucide intelligitur, cum rerum naturae ratio subiecta sit mutationi ac

regenerationi! Atqui, ut videtur, multos homines hodiernos omnino praeterit, quemadmodum nisi diis deabusque, qui in caelis extra temporalitatem aevum agant, non contigerit immortalis vitae conditio ac dolorum insaniaeque cessatio.

Quid de bello pro religionibus, quod in Francogallia insidiose inflatur? Hac symbola, quam latine interpretatus es, aliquantisper confuse in contione ponitur, utrum fides Islamica coniungi possit cum cultu civili occidentalium necne. In Francogallia, non secus atque in aliis nationibus occidentalibus saepius et iterum in discrimen vocantur saecularitas vel laicismus necnon libertas sentiendi ac ius sacra libere colendi, non tantum ab Muslimis vero etiam ab socialistis sectatoribusque partium sinistrarum. Certe, sine difficultate licet mente fingere civitatem, in qua athei, Muslimi, Christiani aliique homunciones communiter animoque amico vitam agant. Homines autem libido dominandi tam vehementer vexat, ut raro quiete utantur. Quid sit cultus civilis Europaeus ita plerumque ignorant Saraceni, non minus quam socialistae, aseclae eorum, ut maximo odio, quidquid dissimile morum priorum eis videtur, habeant. Deinde, incremento demographico Arabum, quod et auget immigratio immoderata, sensim efficitur ut Europaei in Europa fiant minoritas. Incertum ad eorum fructum an detrimento. Itaque minime dubium est, quin multae res, quas maxime favent Europaei moderni, ut democratia, climatodulia, iura feminarum, atheismus ceteraeque, brevi in nihilum occidant. Omnia perpetuo mutantur. **Ratio verum, cur haec omnia fiant, cumprimis in ignavia ac desidia Europaeorum quaerenda est.** Calamo festinanti, haec furtim in grapheo scriptito!

Oscitans te salutat Ansgarius

d.26. a.2024 h.18:37

**NICOLAUS ANSGARIO SUO DISERTISSIMO ET MAXIME
COGITABUNDO SAL.PL.**

Gratias plurimas, care Ansgari, pro recensione Epistulae Leoninae recentissimae, quam statim inserui manuscripto proximae. Etiam Naevium Sartorium quam maturime certiore faciam de tua Triadis venaticae aestimatione benevola.

Ceterum, quia pro certo habeo te optima contribuere ad gloriam Latinitatis fovendam, tibi commendo, ut scribas Christiano Laes Praesidi Academiae Latinitati Fovendae (ALF) te nomen dare acroasi zoomianae faciendae... Legas, quaeso ea, quae cum Praeside egerim. Explica, quas res Latinas usque nunc tractaveris et de qua re coram Academia Latine loqui velis. Nescio, utrum hoc anno an proximo anno futura sit proxima occasio talis acroaseos faciendi. Quid tibi videtur? Valde gaudebo auditione tui sermonis melliflui. Tu ne cede malis sed contra audentior ito. Macte virtute esto, Ansgari artis figurativae necnon sermonis Latini peritissime! Vale semper basilice atque pancratice, mi amice humanissime. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus**

d.29. m.Ian. a.2024 h.14:48

Nicolao salutem Ansgarius

Tantummodo vellicatim ad philosophiae studium animum applicui, neque rerum divinarum cognitionem habeo nisi ieiunam inchoatamque, etiamsi theologorum

disciplinam ad rem solidiorem mihi spectare videatur, quam dialecticorum syllabarumque aucepum praecepta. Neque scientias habeo perspectas, qui magis in materiolis anilibus, ut carminibus artibusque nefandis, tempora fluxa contriverim, quam in rerum naturae inquisitione. Paucis igitur rem maximi ponderis solum leviter tangere velim. Doctrina illa Californiana, quam transhumanismum vocant, et quae propositum habeat ut universitas mundi corporea ad hominum nutum voluntatemque fingatur, forsitan non omnino rationi logicaeque sit aliena. Nam si nihil extra mundum sensibilem censeatur esse, certe non protinus desipiant homines, qui omnia quae oculis cernimus rationaliter ac secundum scientiam redigere ac moderari velint? Vero si originem huius philosophiae ab effectibus ad causam inducimus, et hic iacet lepus, sicut dicebant scolastici, nonne cupiditas potentiae illimitatae ex timore mortis profluit? Metus autem moriendi nulla ex parte rationalis est, cum homunculi aliaque animantia in systemate naturae, quae optime operatur, abundanter nascantur, breviter agitentur, denique e vita celeriter decedant. Verumtamen philosophia atque ars vivendi quae radices in formidinem altius egit, certe cavenda est! Namque timidi etiam violenti furentesque solent esse, et ad pravum citra modum inclinabiles! Sane vereor, ne ad scelera nefaria adducantur homunciones non minus potentes quam nullius animi! **Leporine te salutat Ansgarius**

NAEVIUS SARTORIUS

d.26. m.Ian. a.2024 h.18:45

NICOLAUS NAEVIO SUO S.

En habeas echon benevolam symbolae tuae tripertitae, c.t. TRIAS VENATICA. Quid tibi videtur de Ansgarii Osloensis sententiis? Vale semper, NIC.

d.27. m.Ian. a.2024 h.18:36

NAEVIUS NICOLAO S.

Care Nicolae, gratias magnas tibi ago. Responsum Ansgarii perplacet.

Transcendentia amissa homo modernus ad solum se ipsum redire vult, mensura omnium rerum fieri vult - et eo modo pervenit in condicionem, quam dicam paradoxicam: Mundum etiam homo modernus non explicare potest, etsi magis de natura scit quam proavi sui. Sed nucleum, finem omnium rerum, omnium horum quae in philosophia dicuntur „telos“, non perspexit, sedens adhuc in illa spelunca Platonis. Sed possidens opes oeconomicas, technicas quasdam ingentes saepe putat se dominum, quasi deum mundi esse.

“Deum mortuum esse.”, clamat ille homo mente captus illius Nietzsche; assentiri volumus, quia, ut dicam verbis illius Bergmanii scaenothetae, „Deus tacet“ – et iam semper tacere solebat. Ad Deum tacentem homo non referre potest. Videt solum fatum suum crudele, inexplicabile – quamobrem homo modernus iterum iterumque ideam Dei, ideam transcendentiae improbare studet.

Sed dicam hominem sine transcendentia non vivere posse, quia aliter condicio humana omnino inexplicabilis intolerabilisque esset. Cur Graeci invenerunt tales deos

crudeles, stomachosos, inconstantes? Imprimis studebant explicare mundum viventes in “absolutismo realitatis” (Blumenberg).

Hominem ipsum fieri deum posse – hoc est idea infelix, inepta, etsi ea iam saepe orta est. “Homo deus” est titulum libri istius Iuvalii Harari [sodalis notorii senis Davosienis]. In hoc titulo multum istius arrogantiae transhumanae, istius arrogantiae sine modo est; homini transhumano, postmoderno placet se pro Deo substiturere - et statuere se omnino sine transcendentia vivere posse. Sed audeo praedicere hominem habitus talis semper naufragium philosophicum et humanum facturum esse. In historia exempla innumerabilia invenimus: “Faciamus mundum meliorem, faciamus societaem iustissimam!”, socialistae solebant magna voce clamare. Paradisum humanum condere volebant, infernum immanem effecerunt.

Itaque mirum non est eo tempore – ut dicam verbis Nietzscheanis “post mortem Dei” – cultus pseudo-religiosos et narratioenes de fine mundi imminente novas oriri, velut narrationes de mutatione climatis mortifera. Oriuntur etiam, ut opinor, ex illo vacuo *transcendentiae realis*. **Vale semper Naevius**

d.30. m.Ian. a.2024 h.15:20

NICOLAUS NAEVIO S.

QUID TIBI VIDETUR DE URIAH MISERO IUVENE GERMANO QUI VOLUNTARIE IN GAZA PUGNAVIT PRO ISRAELIA? NONNE FUIT TRAGICUS HOMUNCULUS PHILOBONUS? NONNE EST VICTIMA CULTUS CULPAE ET RE-EDUCATIONIS QUAE EST AB AVO SIBI INCULCATA?

VALE SEMPER, NIC.

d.30. m.Ian. a.2024 h.15:28

Naevius Nicolao s.

Iamne certum est, cur id fecerit, cur pugnaverit? Si re-educatio et condicio psychica eius profecto causae sunt, victima est!

d.30. m.Ian. a.2024 h.17.11

Nicolaus Naevio s.

Nonne audivisti, quid dixerit commentatrix? Avus Uriae iam in Israeliam migraverat ad culpam Germanorum compensandam. Ibi condidit gerontocomium, in quo curarentur homines holocausti superstites. Iste Uriah, ut fuit verus homunculus thelobonus (sic! “*Gutmensch*”, thelo- a ethelein “velle”), quia voluit exemplum avi imitari, immo superare, voluntarie factus est miles Israeliae. Ad unum genocidium (ante circiter 80 annos factum) compensandum, particeps factus est novi genocidii. Nonne est homo vere tragicus? Ad optimum assequendum fecit pessimum. Miserrimus Uriah, miserrimi parentes sunt victimae propagandae et cultus culpae et re-educationis. Nonne? Num Propertius recte dixit “IN MAGNIS VOLUISSE SAT EST”? Quid tu diceres, si filius tuus tibi diceret se fieri velle militem Israeliae, ut contra pessimos Hamasianos, istos sceleratissimos Israelianorum trucidatores, constupratores, decollatores fortissime pugnans compensaret culpam Germanorum et

genocidium nacistarum? Et quadam inflammatione et obcaecatione animi iuvenili, ut lueret genocidium prius, vellet adiuuare genocidas modernos?
Haec breviter, mox plura. **NIC.**

d.30. m.Ian. a.2024 h.22:14

Naevius Nicolao s.

Non iam audiui, tempus me deficit. Modo ex Ulma reveni. Certe: Si filius meus talia facere vellet, omnia facerem ut prohiberem eum a ista actione stultissima.

Vale semper **Naevius**

d.07. m.Febr. a.2024 h.11:39

Nicolaus Naevio s.

FUITNE ETIAM RAPTOR HOTZENPLOTZIUS NACISTA? FUITNE CRABATUS PUER IUVENTUTIS HITLERIANAE? FUITNE PARVA SAGANA AQUATICA PUELLA UNIONIS PUELLARUM GERMANICARUM? PRASINI FURUNT PSYCHOSI IDEOLOGICA OBSESSI. DELIRANT MAGISTRI PRASINI ET MANDATU GUBERNATIONIS DISCIPULOS INFICIUNT MORBO SUO. DISCIPULI NON DISCUNT COGITARE RATIONE CRITICA, SED IISDEM MISERRIMIS INCULCATUR IDEOLOGIA SINISTRO-PRASINA. O TEMPORA O MORES! **VALE SEMPER, NIC.**

d.07. m.Febr. a.2024 h.11:44

Naevius Nicolao s.

Quid ille Acerarius rectissime dicere solet? *Mentalitas nacistarum quaerit nacistas.* Hoc est exemplum novum iniucundissimum. Tempora nostra summae insaniae, summi furoris sunt. **Vale, N.**

d.07. m.Febr. a.2024 h.16:32

Nicolaus Naevio s.

Iamne legisti? Nunc etiam is Turcus germanior quam plerique Germani damnatus est ad custodiam. Quid tibi videtur? **Vale semper, NIC.**

d.08. m.Febr. a.2024 h.00:10

Naevius Nicolao s.

Nondum legi de ea re; potes mittere mihi iudicium illud, de quo Akif narrat? Potestne in interreti inveniri? Iudicio perlecto maius dicere possum. **Vale semper VN**

d.09. m.Febr. a.2024 h.15:30

Naevius Nicolao s.

Care Nicolae, cras cum familia proficiscar - nonnullos dies non domi ero. Ille Allister rem acu tetigit, analysin amaram, sed verissimam fecit: Europa est continens moritura. **Cura ut valeas VN**

d.09. m.Febr. a.2024 h.17:32

NICOLAUS NAEVIO SUO OPTIMO SAL.PL.

Care Naevi, sit tibi iter optimum! Quid de valetudine socrus tuae? Et quid de illa indignatiuncula feministica? Suntne interim undae aliquatenus levigatae? Utinam omnia tibi fiant meliora! Si quid restabit molestum - recordare verba Horatii: *Aequam* memento rebus in arduis servare *mentem*! VALE SEMPER BASILICE ET PANCRATICE. **MEDULLITUS TE SALUTAT NICOLAUS.**

d.09. m.Febr. a.2024 h.17:58

Naevius Nicolao s.

Gratias tibi ago, care amice! Valetudo socrus bona non est; curatio chemica nunc incipit. Non ignoras talem curationem esse horribilem, effectus secundarios iniucundissimos afferentem. - Undae a feministis istis commotae numquam altae fuerunt : "pugnam feministicam" illam non aperte pugnant, sed quasi solum clandestine, ignave. Adhuc nescio quis ex studentibus woceistis tantopere indignata sit. Sed nihil refert. Quid Britanni recte dicere solent? "*Keep a stiff upper lip*". Proverbium illud sane simile dicto Horatii est. **Vale semper, Naevius**

Naevius Nicolao suo optimo salutem dicit.

Ex provincia remota notaque imperii Romani veteris reversus te saluto, care amice. Hic invenies LXXXVII photographias a me confectas: ... Pro certo habeo te coniectare posse ubi fuimus. Inter imagines etiam inscriptiones Latinas quasdam conspicies; utinam tibi placeant! Quaeso, eas legas et convertas, si tibi placet, si tibi otium est. Mihi sunt quaedam quaestiones spectantes ad grammaticam et significationem nonnullarum ex eis. Gratias magnas tibi agit **Vale semper, Naevius.**

d.17. m.Febr. a.2024 h.12:04

Nicolaus Naevio s.

Gratias plurimas pro bellulis imaginibus photographis! Fuistine in Siciliâ? Panormitana nonnulla vidi. Placent inscriptiones. Insunt nonnulla verba biblica gravissima, e.g. *Saulus cadens in terram audivit vocem dicentem: "Saule, Saule, quid me persequeris?"* Ceterum nesciveram Petrum et Paulum ad Neronem intravisse et disputavisse cum Simone Mago. Si vacabis, narra de itinere tuo Siculo. Libentissimê publicabo. Haec breviter, mox certê plura. Utinam tu tuique optimê recreati sitis! **Medullitus te salutat Nicolaus.**

d.17. m.Febr. a.2024 h.13:52

Naevius Nicolao suo s.

Recte, in Sicilia fui, in capite illius provinciae. Etiam nesciveram Petrum et Paulum ad Neronem intravisse et disputavisse cum Simone Mago. Quaeso explices mihi, cur inscriptio illa (imago 9931) non recta esse videatur: "AD NERONE" "PAULU" "CU" Estne hoc modus scribendi specialis? Suntne abbreviaturae? **Gratias tibi agit VN**

d.19. m.Febr. a.2024 h.20:44

Nicolaus Naevio s.

Talis modus abbreviandi in manuscriptis mediaevalibus persaepe invenitur: -m finale saepe eo significatur, quod litterae antecedenti accentus circumflexus aut *tilde* superponitur. Aetate classicâ syllabae finales in -m exeuntes a phoneticis docentur per vocalem nasalizatam pronuntiatas esse. - Ceterum legistine de receptione Alternativorum Anni Ineuntis Monasterii a "Multicoloribus" vehementer perturbatâ? **Vale semper, NIC.**

d.21. m.Febr. a.2024 h.09:58

Naevius Nicolao suo s.

Gratias summas tibi ago, care amice, pro explanatione tua docta. De re illa inucunda iam legi. Pugna politica eo tempore omnibus opibus pugnari videtur; odiose!

Vale semper VN - PS De Sicilia postea narrare studebo; nunc tempus me deficit. Unda clausurarum volvitur ad me ...

d.21. m.Febr. a.2024 h.21:14

Naevius Nicolao suo s.

Cur Massenius ille - vir honestus, magistratus optimus, sed vir politicus non prudens - condiderit illam unionem valorum, adhuc non intellexi. Volutne lacunam inter Christianodemocratas ad Alternativos explere? Semper sane clarum erat tali factioni paene nil momenti reali esse, praeterea eam infirmare vires politicas omnium conservativorum. Nunc patet etiam sodales Maasenii non fideles esse. Horribile!

Vale, N.

d.21.m.Febr.2024 h.22:32

NICOLAUS NAEVIO SUO OPTIMO S.

NONNE SALUTARE EST NUNC TANDEM FURFURES A TRITICO SEPARARI, I.E. TALPAS ET HYPOCRITAS ET BLATERONES ET NAVES SUBAQUANEAS SEPARARI A VERE ALTERNATIVIS VERISQUE AMICIS LIBERTATIS ET COGITATIONIS CRITICAE? QUID TIBI VIDETUR? **VALE SEMPER, NIC.**

d.21.m.Febr.2024 h.23:12

Naevius Nicolao suo s.

Certe, semper studere debemus separari falsos a veris, separari homines honestos pugnam pro re ipsa pugnantes ab istis ad rem publicam solum gloriae ambitionisque causa accedentibus. Sed semper difficile dictu est - et semper difficile distinctu est, quia natura hominis cuiusque habitus multos continet. E. c. *Sahra* illa formosa et eloquens certe apta est ad analyses profundas summi acuminis. Sed adhuc munus publicum non explēvit; etiam dubito an ea bene, prudenter praesit factioni novae; praeterea valde dubito de eius loco oeconomico. Mea (et ni fallor, etiam tua) opinione *Sahra* est homo pro se; ei est natura versicolor, natura, quam Theodisce dicamus *schillernd*. Sed separari *Sahram* a *Sahra*? Non possibile est. Sunt, ut libenter confiteor, etiam casus clarissimi: Patet istum *Soederum* Frangum obbordunistam maximum esse; patet multos politicos pro re et simul gloriae causa munere fungi. Munera publica illa semper alliciebant narcistas, scaenomanicas, egoistas; semper

alliciunt, semper allicient. Quamobrem timeo ne saepe non clare dinstinguere possimus. **Vale bene VN**

d.24.m.Febr.2024 h.20:50

Naevius Nicolao suo s.

<https://www.tichyseinblick.de/feuilleton/jim-knopf-neuaufgabe/>

Nonnullas septimanas ante in bibliopolio perlustravi librum illum, quem puer amabam. Mihi perplacuit recognoscere textum originale; sed nunc etiam is liber notus illius FINIS in ara woceismi, religionis summae Germaniae modernae, sacrificatur. O tempora, o mores! **Vale semper VN**

CAROLUS (*Karolis*) LYVENS LITUANUS MAMUCHIENSIS

d.25. m.Ian. a.2024 h.00:02

Carolus Nicolao suo salutem plurimam

Gratias Tibi ago pro votis sinceris et pro epistulā pulchrā! Certe placet cogitare nos esse humanistas adverso flumine natantes ad fontes. Nunc Te paucis volo – paro editionem telarem archivi Melissae (iam mox 200 fasciculi publice patebunt!) et modo incidi in rem miram. In fasciculo 75 (qui editus est mense Decembri anni 1996), in paginā 12 legitur praeconium librorum abs Te, impigerrime rerum, Latine conversorum. Haec verba animum meum statim excitaverunt: „– Quinque narratiunculae ad Lituaniā spectantes: Fabellae Lituanae./ Adiuncta introductione de regione, lingua, litteratura Lituana atque adiunctis adnotationibus.“. Adhucine habes? Libenter legam et divulgabo inter amicos meos! Gratias maximas in antecessum ago! **Valeas quam optime!**

d.25. m.Ian. a.2024 h.13.44

**NICOLAUS CAROLO SUO BIBLIOTHECARIO NEOLATINITATIS
DILIGENTISSIMO SAL.PL.**

Gratias plurimas, mi care Carole, quod me mones opusculorum priorum. Quod attinet ad textus Lituānicos in Latinum convertendos, in praesenti duas tantum fabellas recordor Lituānicas, quas toga vestivi: illam de Zivile puella patriae amantissima scriptam et alteram de Helena mercennaria omnibus gratissima, sed praemature mortua. Has versiones, ni fallor, invenies in Voce Latina et in Retiario. Illo anno, quo praeconium illud Melissae scriptum est, multa et varia Latina scripsi, quae postea inter remigrationem in Germaniam factam perdidit. Etiam novellas Coreānicas nonnullas Latine reddideram, quas non iam habeo. In hypogeo nostro permultae cistae sunt libris et pagellis completae et pulvere obiectae, quas ex 20 fere annis nondum aperui. Uxor mea saepe minatur se has omnes abiecturam esse. In habitaculo nostro proprio non est satis loci, ubi haec cimelia transmarina collocentur. Fortasse aliquando inveniam etiam illa scripta mea Latina. Recordor me nonnulla divulgavisse in commentariolis Genovefae Imme (habesne eos?). Fortasse illam collectionem versionum in Melissa annuntiaveram, sed aliis laboribus Coreānicis impeditus sum, ne perficerem. Itaque talis anthologia Lituānico-Latina maneat mihi in votis:

Bene spero aliquando te adiuvante tale cimelium Latino-Balticum perfectum iri. Dum spiramus speramus. Valde gaudeo de diligentia et vigilantia tua philologa atque historica, quibus Latinitas eget urgentissime! Quid nunc de examine tuo rigoroso? Utinam omnia tibi eveniant quam optime! Vale pancratice atque basilice. Tu ne cede malis sed contra audentior ito! **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

ION EIZMENDI SODALIS TORUNIANUS

d.24. m.Febr. a.2024

Salutem plurimam omnibus, amici/-ae:

Ferocissimo impetu de aere semel patrato, exercitus Israel nunc vicissim videtur se parare ad novum incursum terrestrem ad regiones Lacinae Gazeticae devastandas.

Ita agendo, si aperte est dicendum, nihil aliud facit quam longius procedere in suo inveterato proposito, scilicet per foedissimas vexationes caedesque in palestinos illatas, terras confines sibi denique adjungere, inimicis omnibus inde depulsis.

Porro, haec omnia scelera, dum magna pars nationum terga vertit aut obmutescit, administratione americana tacite adnuente comissa sunt, si fidem habemus illo sapienti statunitensi, c. n. *Noam Chomsky* (et ipse Iudaica stirpe), qui nuperrime trucidationes humanas publice claraque voce denunciavit.

Quid censetis vos? Equidem mente fingo inaequale bellum, ubi ingens Goliath cum illo David, pera pastoralis induto, arroganter contendit, nisi quod hoc casu, magnus parvum trucidat. - Sed dicite, quaeso: ex odio mutuo tam diu inolito, e tam vitiata radice, quid boni licet spectare, quid spei reponi potest? - **Valete omnes**

d.24. m.Febr. a.2024 h.22.39

LEO LATINUS IONI ET EDO ET DIONYSIO CETERISQUE SODALIBUS TORUNIANIS SAL.PL.DIC.

"Porro, haec omnia scelera, dum magna pars nationum terga vertit aut obmutescit, administratione americana tacite adnuente comissa sunt..." (Ion Eizmendi)

1). Toto ex corde tibi assentior, care Ion. De GEHENNA GAZENSI prolixê scripsi in novissimâ EPISTULA LEONINA 287, quam cras in lucem edam. Si quis vestrum eandem legere vult, mihi scribat, ut a me accipiat gratis et sine ullâ obligatione.

2). Legatis, quaeso, verba sincera *Professoris Iohannis Mearsheimer*, Americani coryphaei historiae et politologiae, quae ex anglico in Latinum converti:

"Non credo fore, ut aliquid verborum, quae dicturus sim de rebus Gazensibus, valeat ad rationem politicam, quâ in hęc conflictu utantur Israelia aut America. At tamen volo hęc loco litteris mandare, quid censeam, ut historici, si quando istam calamitatem moralem recensebunt, videant nonnullos saltim Americanos stesisse a causâ iustâ. ... Cum observo istam calamitatem Palaestinatorum in dies aggravari, non possum quin quaeram simpliciter ex ducibus Israeliae eorumque defensoribus Americanis et ex gubernatione Bidenianâ: Num deest vobis omnis probitas? ...in casu genocidii Israeliani plerique homines iurum humanorum periti ... liberales pauca tantum dixerunt de facinoribus Gazensibus crudelibus aut de sermone ducum Israeliae genocidiali. Spero eos aliquando explicaturos esse taciturnitatem suam, quâ sollicitor. ... Historia iisdem non favebit, quia vix ullum verbum dixerunt, cum natio sua particeps esset sceleris terribilis, quod commissum est coram omnibus." JOHN J. MEARSHEIMER

3). Proximo die Saturni, d.02. m.Mart. a.2024, hora quinta p.m. coram Academia Latinitate Fovendae faciam acroasin per systema ZOOM interretiale transmittendam. Titulus acroaseos meae est: "NOVIS REBUS NOVA NOMINA ESSE IMPONENDA - DE NOVIS VERBIS LATINIS FINGENDIS"

Ad acroasin meam gratis et sine ulla obligatione spectandam et audiendam medullitus vos invito. Signa systematis adititalia paucis diebus ante acroasin indicabuntur a **Nico de Mico** Secretario Academiae Latinitati Fovendae: nicedemico4@gmail.com
Haec hactenus, mox, si volueritis, libenter plura. Valet pancratice et basilice.
Medullitus vos salutat LEO LATINUS

VICTORIUS CIARROCCHI PISAURENSIS

d.24. m.Febr. a.2024 h.22.39

Nicolaus Victorio suo optimo s. s.v.b.e.e.v.

Care Victori, modo misi epistulam quae sequitur, ad Forum Torunianum. Sed dubito, an vere sodalibus transmittatur. Tune accepisti eam in Forum transmissam? Ceterum quid tibi videtur de GEHENNA GAZENSI? Multas symbolas collectas Latine redditas publicabo cras in Epistula Leonina 287. Cupisne legere? Spero te, si legeris, mox omnia mihi scripturum esse, quae tibi in buccam venerint. Vale semper more philosophico, care Victori. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.26. m.Febr. a.2024 h.13.46

Victorius Nicolao, eximio Latinitatis cultori ac propugnatori, sal. plur. dicit.

Quid acciderit accidatve in Foro Toruniano, optime Nicolae, equidem scire non queo. Sed tibi auxilio esse poterit Eduardus Casey, «owner(us)» sodalitatibus c. n. 'Grege Latine loquentium'. Ille enim vir non modo ex Oceanis interretialibus ea quoque expiscari valet, quae alius quilibet ne imagnetur quidem, sed unus est- quod suspicer- qui cum illius Fori moderatoribus communicet. Epistulas Leoninas semper legere "cupio"; disputationum autem, quae ad res politicas internas (Germanicas Italicasve Turcicasve) et internationales (Statunitensium, Sinensium, Russorum) pertineant, particeps esse mihi non placet. **Pancratice valeas.**

GUSTAVUS TAVARES BRASILIANUS BELLIHORIZONTANUS

d.04. m.Ian. a.2024 h.11:59

Nicolaus Leo Latinus Gustavo Tavares Poetae Latinissimo sal.pl.

S.V.B.E.E.V.

Utinam novum annum, mi care Gustave, faustis ominibus incohaveris! Accepistine Epistulam Leoninam 285, quam tibi misi Die Papae Silvestris, i.e. ultimo die anni MMXXIII? Scribas mihi, quaeso, num Leonis nuntios acceperis omnes sat bene legibiles et de iisdem quidquid tibi in buccam venerint. Semper gaudeo de litteris hominum doctorum Latinissimis, quibus Orbis Latinus ditificetur et beatificetur. Vale pancratice, Vates Belli Horizontis, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.**

d.24. m.Febr. a.2024 h.22:27

Gustavus Nicolao Leonino sal.

Superiores tuas *Epistulas Leoninas*, quae numeris 285o et 286o indicantur, accepi, quibusque acceptis ita motus est animus quo plures in annum dari precarer. Quod quidem haud ignoro equidem vix uni expediri posse, operosâ et vere laboriosâ curâ habitâ tantarum epistularum scribendarum. Atque mihi ne intermiseris eas dare, qui tanquam stillatim (prout intercapedo permittit negotiorum – quae tot tantaque fuerunt hisce septimanis praeteritis, ut ne ullum quidem ad te quod me decuit verbum facere potuerim) capto lectitoque.

Id praeterea, quod te rogo, aequae feras velim. Anno proximo operam dabam Suetoni opusculo cuidam quod ‘*De Grammaticis et Rhetoribus*’ inscribitur. Quod opusculum non modo in sermonem patrium converti sed et commentario critico instruxi. Aliquid autem mihi latinitatis amanti vehementer desiderari sensi: nempe dissertationem *latinam* componere, quam latine quidem componendam institui et qua ad criticam rationem locos ibi corruptissimos quosque perquiro, qui quidem loci spe crebriores inveniuntur cum mutila necnon et uno codice contenta atque ad nostram usque memoriam transmissa eius opusculi fragmenta sint. Quam vero dissertationem per epistulas exsequi emolior, vetus genus secutus quaestionum grammaticarum exsolvendarum, quod adhibere non dubitavit et ipse Varro Reatinus *epistulicas quaestiones* componens. Sed hoc est quod te rogo: scisne tu mihi commendare Periodica quibus hoc scribendi genus tamquam symbola publici iuris facienda excipiatur? Sint periodica quae mihi quaeruntur latina, nec tamen alia vernacula accedere dedignor, modo latinitati studiisque classicis faveant et scripta latine composita accipiant.

Ceterum, si tua – ut opinor – interest, novissime editum et publici iuris factum est apud Domum *De Gruyter* fasciculum *de poesis latinae elocutione* (anglice ‘*Style in Latin Poetry*’), in quo sybolae permultae a claris et iis eruditissimis viris exaratae evolvi possunt. Hic fasciculus **gratis** et **sine mercede** depromi potest hoc nexu:

<https://www.degruyter.com/document/doi/10.1515/9783111067353/html?fbclid=IwAR0YFXattBzxdAsNvtdTENAvFQGbop2X2GvYI0fioko-0aFiyU7Kkc-Ug4k>

Postremo tuam in me benevolentiam grato animo accipio, qui semel et semel tam comiter mecum agis! **Vale.** Data Bello Horizonte, VII Kal. Mart., anno MMXXIV

d.25. m.Febr. a.2024 h.02.52

Gustavus Nicolao Leonino sal.

Gestio equidem ut partem capiam orationis quam proxime habebis. Nuntio ergo ad Nicum de Mico misso, aditum atque ad audiendum licentiam expectabo.

Vale. Data Bello Horizonte, VII Kal. Mart., anno MMXXIV

d.26. m.Febr. a.2024 h.02.46

Gustavus Nicolao Leonino s.p.d.

Merito te amo, Nicolae spectatissime, atque ita faveant fata ne quid mihi sit detrimento quin acroasi tuae futurae intersim! **Vale quam plurimum.**

Data Bello Horizonte, VI Kal. Mart., a. MMXXIV

IONATHAS GNOSIS ph.d. SODALIS TORUNIANUS

d.26. m.Febr. a.2024 h.00.05

Ionathas gregi salutem dicit.

Ioannem Mearsheimerum, quem tu Leo Latine memorauisti, ego existimo de Russia quoque et Ucraina sapienter disseruisse, ut [hic](#) legi potest, ex quo tractatu abhinc duos annos scripto haec excerpta Latine reddo: "Russia ciuitatibus foederatis non grauer minax est. in systemate autem internationali re uera nobis [Americanis] obiacent quaedam minae graues....Sinae sunt....oportet nos ab Europa uerti ut de Sinis agamus....et...oportet nos operam extraordinariam dare ad efficiendum ut nos et Russi utrique ad utrosque animo benigno simus....si in mundo uiuis ubi sunt tres potestates magnae Sinae, Russia, et ciuitates foederatae ex quibus una, idest Sinae, se tibi aequalem habens tecum contendit, si ciuitatum foederatio Americana es uis facere ut Russia parti tuae faueat. non id autem fecimus sed ex quibus consiliis stultis in Europa orientali iamdudum agimus iis consiliis effecimus ut Russos in Sinensium amplexus pepulerimus." **ualete.**

VOLCERUS WILL LUBECCENSIS

d.26. m.Ian. a.2024 h.15:10

LEO LATINUS VOLCERO WILL MAXIME HONORABILI SAL.PL.DIC.

GRATIAS PLURIMAS TIBI AGIMUS, QUOD SEPTUAGINTA QUINQUE EURONES IN COMPUTUM NOSTRUM TRANSTULISTI. RECITATOREM ET HOTZENPLOTZIUM QUAM MATURRIME TIBI MITTEMUS. VALE BASILICE ET PANCRATICE ET PERGE NOBIS FAVERE. **MEDULLITUS TE SALUTAT LEO LATINUS**

d.26. m.Ian. a.2024 h.6:58 PM

LEO LATINUS VOLCERO SAL.PL.

HODIE TIBI MISIMUS **RECITATOREM ET HOTZENPLOTZIUM**. UTINAM QUAM OPTIME TIBI AFFERANTUR ! UNA QUAESTIUNCULA NOBIS RESTAT: CUM IN ALIQUO LEXICO INVENISSEMUS PRAENOMEN TUUM ESSE MULIEBRE, TE IN INSCRIPTIONE CURSUALI INVOLUCRO FASCIS CURSUALIS INSCRIPTA APPELLAVIMUS MULIEREM. POSTEA AUTEM INVENIMUS IN LIBRO MODERNIORE, PRAENOMEN Q.E. **FOLKE**, SPECTARE AD UTRUMQUE SEXUM. SI ERRAVIMUS, IAM IN ANTECESSUM TE OMNI QUA PAR EST OBSERVANTIA ROGAMUS, UT NOBIS IGNOSCAS. VALE BASILICE ET PANCRATICE. **MEDULLITUS TE SALUTAT LEO LATINUS.**

d.29. m.Ian. a.2024 h.22.28

Folke Will Leoni Latino salutem dicit.

Libros missos iam hodie bene recepi, gratias vobis ago! Nomen meum profecto utrumque sexum significare potest, ego autem masculinus sum. At noli curare: etiam urbs Lubeca a Volceris utriusque sexûs inhabitatur, ergo nemo scit nisi faciem vidit. Qua de causa nomen alterum mihi est, q.e. Peter. **Rursus gratias, bene valete!**

d.30. m.Ian. a.2024 h.00.03

LEO LATINUS VOLCERO WILL SAL.PL.

Gratias plurimas pro litteris tuis benevolis. Hodie demum invêni nomen viri Sueti illustris, qui fuit tuo praenomine:

Folke Bernadotte Graf von Wisborg (*d.2. m.Ian. a.1995 Holmiae; † d.17. m.Sept. a.1948 Hierosolymae).

Utinam sis, mi care Volcere, auctoritate atque possessione ei viro similis, sed fato felicior! Vale pancraticê et fruere lectione Recitatoris et Hotzenplotzii et perge mihi favere. Medullitus te salutat **LEO LATINUS**

ALEXANDRA GADITANA

d.05. m.Ian. a.2024 h.0:44

LEO LATINUS ALEXANDRAE SAL.PL.DIC.

UTINAM NOVUM ANNUM FAUSTIS OMINIBUS INCOHAVERIS! NOVISTINE IAM EPISTULAS LEONINAS? MITTO TIBI LEONINAM RECENTISSIMAM - GRATIS ET SINE ULLA OBLIGATIONE. SI VACABIS, SCRIBE MIHI, QUIDQUID TIBI IN BUCCAM VENERIT. VALEAS BASILICE ATQUE PANCRATICE **MEDULLITUS TE SALUTAT LEO LATINUS**

d.22. m.Ian. a.2024 h.22:44

Alexandra Gaditana Nicolao Leoni Latino salutem plurimam dicit.

Primum ante omnia excusatam me habeas, quia serissime respondeo et rescribo rebus academicis sepulta. Gratias plurimas tibi ago pro novissimis *Epistulis Leoninis* et ducentesima octogesima quinta (285) et ducentesima octogesima sexta (286) ad me missis, quas granter evolvi et quibus nova et multa didici. Faustum novum annum tibi quoque ex imo corde ominor. **Valeas quam optime!**

d.22. m.Ian. a.2024 h.23:54

NICOLAUS ALEXANDRAE S.

Gratias plurimas, cara Alexandra, quod mihi perhumaniter respondisti. Gratissimum mihi facies, si Epistula Leonina perlecta mihi scribes quidquid tibi in buccam venerit de argumentis symbolarum. Si quid habes Latinum publicandum mittas mihi. Libenter textum tuum inseram Leoninae meae Epistulae. Inscriptioni tuae electronicae inest verbum "romana". Habitasne Romae in urbe? Esne magistra an studentissa an profestrix Latinitatis? Haec hactenus. Utinam pergamus per litteras colloqui, ut fiat dialogus quam maxime delectabilis. Vale pancratice atque basilice, cara Alexandra. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.23. m.Ian. a.2024 h.00.00

Nicolaus Alexandrae s.

Modo video te Gaditanam esse. Esne ergo incola illius urbis Hispaniae illustris, quae Hispanice appellatur: **Cádiz**, andalusice **Cái**? Vale semper, **Nicolaus**.

d.23. m.Ian. a.2024 h.22:23

Alexandra Nicolao sal.

Gaditana quidem sum, etiamsi casu in Africa nata sim. In Hispaniam veni quattuor annos nata et iam inde, scilicet plusquam dimidium saeculum, in oppido antiquissimo Gadibus habito, Hispanice "Cádiz" (ut recte mones), sed Andalusice vel potius Baetice aut Vandalice (ut saeculo XVI dicebatur) "Cai" dicimus litteram unam et alteram subripientes, nam celerrime loquimur. Agnes mihi est nomen alterum et quamquam in Africa nata sum et Gadibus habito, cor meum Romanum est, unde aliquando nomine Agnete Romana utor, maxime in inscriptioni electronica Gregis Latine Loquentium, ubi abhinc nonnullos annos scribo, sed pro dolor non satis superque. - Placet quidem mihi multum Latine scribere, sed pro dolor, inquam, mihi non est multum spatium temporis negotiis academicis obstantibus, utpote quae linguam et litteras Latinas in Universitate Studiorum Gaditana profitear. Quamobrem difficile est mihi commercium epistularum et habere et producere, sed aliquando nugae et cogitationes varias exaro in pagella mea retis omnium gentium c.t. "Scriptorium Academicum Latinum" sive SAL, ubi plura de me invenire licet.

Valeas quam optime.

d.23. m.Ian. a.2024 h.23:55

Nicolaus Alexandrae doctae atque amabili sal.pl.

Gratias magnas pro verbis tuis perhumanis. Libentissime tecum occasiunculam nactus de singulis universis confabulabor. Inveni situm vestrum interretialem, cui insunt multae receptiones audiophonicae magni momenti. In praesenti permittas, quaeso, ut haec tantum ex te quaeram: Quis Latine reddidit fabellam trium porcellorum? Licetne versionem vestram in proxima Epistula Leonina publicare? Et unde interpres sumpsit verba quae sequuntur:

1) per [comam](#) men-men-[menti](#)!

2) huffare

3) puffare

Haec hactenus brevissime. Quia multa restant quaerenda et narranda, bene spero mox occasionem nobis fore, quo pergamus colloqui de multis rebus aliis. Vale basilice atque pancratice, cara Alexandra, incola urbis vere pulchrae et thesauris antiquitatis abundantis (spectavi imagines Gaditanas in interreti), et perge mihi favere.

Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

LOGODAEDALUS

d.22. m.Ian. a.2024 h.13:52

Logodaedalus Leoni Latino s.p.d.

Legi symbolam Vicipaediae a te versam in sermonem Latinum. Quin eam publicas in Vicipaedia ipsa Latina? **Vale!**

d.22. m.Ian. a.2024 h.14:06

Leo Latinus Logodaedalo sal.pl.

Utinam faustis ominibus novum annum incohaveris! Quaeris, quare nondum publicaverim versiones Wikipediae meas in Vicipaedia? Quia meo iure Latine scribere et reddere volo, non iure aliquorum scriptorculorum et correctorculorum mihi ignotorum, qui falsant ad libitum suum symbolas meas. Esne tu auctor Vicipaediae? Vale semper et perge mihi favere, care Logodaedale. Scribe mihi quam saepissime quidquid tibi in buccam venerit. Vale semper pancratice et basilice.

Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus

d.22. m.Ian. a.2024 h.14:46

Logodaedalus Leoni Latino s.p.d.

Gratias tibi ago, pariter exopto ut novum annum optime incohaveris. Recte quidem mones, cum dicis non paucos auctores Vicipaediae esse «qui falsant ad libitum suum symbolas» aliorum. Adde quod multi sermonem Latinum tam male callent ut dicas verbis Gemini Varii (Senecae epistulae morales ad Lucilium, IV.40) eos «tria verba non posse jungere». Attamen mea quidem sententia, cum Vicipaedia institutum clarissimum jam sit quod etiam tirones haud ignorant, oportet ei operam dare: menda corrigere, res amplificare, symbolas scribere. Ipse in primis corrigere conor quae invenio. **Vale!**

d.22. m.Ian. a.2024 h.14:53

Leo Logodaedalo s.

Laudabile quidem est, care Logodaedale, studium tuum tirones corrigendi. Sed nonne haud raro sunt scioli hypercorrectores, qui falso corrigant tuas correcturas? Nonne molestum et odiosum est tempus terere talibus baburris frustra docendis?

Vale semper, LL

d.23. m.Ian. a.2024 h.00:21

Logodaedalus Leoni s.

Haud infitior molestum et odiosum esse tempus terere illis sciolis hypercorrectoribus. Non semel, sed pluries mihi ipsi videbar Sysiphi saxum volvere. Tecum tamen agita hoc, paucos homines linguam Latinam callere et paucissimos symbolas Vicipaediae scribere. Quis corriget menda, exempli gratia, de jure cui operam do? Quis scribet symbolas de rebus quae mea intersunt? Nemo est qui hoc facere possit praeter me ipsum. Omnes fautores Latinitatis plus minusve aliquo campo peritiores sunt quam alii, ergo eorum est explanare quae melius noverunt. **Bene valeas!**

d.23. m.Ian. a.2024 h.10:29

Leo Logodaedalo s.

Laudo fervorem tuum, care Logodaedale, Latine scribendi et docendi. Sed mihi displicet hierarchia Wikipediana sive Vicipaediana, qua haud raro docti supprimuntur ab indoctis. Ceterum Wikipedia iam pridem summam infamiam contraxit scandalis suis falsationis: eae symbolae, quae spectant ad politica, historica, religiosa,

EPISTULA CHRISTIANI LAES: DE CERTAMINE QUIRINALI



PROF. DR. CHRISTIANUS LAES
ANTVERPIENSIS ET MAMUCIENSIS

Christianus Laes praeses omnibus sodalibus ALF salutem plurimam.

Conventiculo ALF feliciter peracto, licet mihi vobis annuntiare rem alicuius momenti, de qua inter consiliarios sumus collocuti.

Nemo enim nostrum ignorat certamina Latina, quae nunc exstant, ad carmina vel fabulas narrationesve fictas plerumque spectare eodemque tempore negligere symbolas et commentationes doctas, quas olim studiosi saepe Latino sermone pangebant. Omnibus patet quaquaversus quantopere homines docti ac praesertim philologi, exoleta consuetudine scribendi Latine, munere suo te se abdicarint.

Nobis est persuasum Latinam linguam commercia inter doctos, praecipue inter eos, qui disciplinis philologis, historicis archaeologicisve student, hodierno quoque tempore fovere posse. Commentarios academicos exarare sermone naturali et communi scrutatoribus rerum classicarum inceptum est laude dignum, cum nationibus cunctis ostendat pro imperio linguae Anglicae alterum sermonem ‘universalem’ substitui posse.

Qua de causa cogitavimus de certamine ab Academia instituendo, ut optima symbola Latine scripta et in commentariis periodicis divulgata praemio honestetur. Certaminis praeconium documento subiuncto inest. Propositum primum huius certaminis erit suadere studiosis, praesertim

iuvenibus, ut investigationes doctas Latine publici iuris faciant. Ne plura scribam: sint Maecenates, non deerunt Marones...

Praesertim sodali nostro Marco Cristino gratias ago, qui hoc propositum summo studio atque ardore excogitavit, propagavit, defendit.
Valeatis pancratice atque Latinitatem fovere pergatis

Prof. Dr. Christian Laes

Departement Geschiedenis/ Department of History
Universiteit Antwerpen/ University of Antwerp
Stadscampus·S.SJ.303·Sint-Jacobsmarkt 13·
B 2000 Antwerpen

CERTAMEN QUIRINALE

Academia Latinitati Fovendae ad primum Certamen Quirinale omnes antiquitatis litterarumque studiosos invitat, ut optima symbola inter a. 2018 et a. 2023 Latine publici iuris in commentariis periodicis facta praemio honestetur.

Ab universis scriptorum auctoribus rogatur, ut symbolam (iam typis traditam) non ex alio sermone versam nec quinque paginis brevioram iudicibus ante Kalendas Februarias a. 2024 mittant ad inscriptionem cursualem electronicam, quae est certamen.quirinale@gmail.com. Symbolae tantum accipientur, quae e plagula .pdf constant. Unam symbolam existimandam omnis candidatus tradat.

Collegium sodalium Academiae attente considerabit ac iudicabit commentationes doctas (e.g. philologas, litterarias, philosophicas, theologicas, archaeologicas, historicas, glottologicas vel musicologicas), aestimata et stili Latinitate et argumenti gravitate. Symbola enim enixe exquiritur non solum Latino sermone emendato scripta, sed etiam de rebus quae maioris sint momenti ad progressum disciplinae cuiusvis provehendum. Qua de causa scriptionibus tantum in commentariis periodicis editis in certamen venire licet et textus omnes reicientur sive qui his normis non responderint, sive qui ad argumenta privata vel pensa scholastica pertinere videbuntur sive qui ante Kalendas Ianuarias a. 2024 nondum publici iuris facti sint. Cum praemium proponatur curante et auspice Academia Latinitati Fovendae, cuius socii munere iudicis fungentur, nullus sodalis Academiae praemium accipere poterit.

Praemium victoris erunt Euronummi 500 una cum diplomate. Omnes candidati de exitu certaminis fient certiores mense Maio anni 2024 et victor in conventu ALF eiusdem anni praemio honestabitur.

Commentarii periodici, qui symbolas Latino sermone scriptas accipiunt, sunt e.g. Aevum, Arctos, Aristetas, Eos: commentarii Societatis Philologiae Polonorum, Epistula Leonina, Eranos, Exemplaria Classica, Giornale Italiano di Filologia, Gnomon, Hermes, Hyperboreus, Latinitas, Latomus, Melissa, Museum Helveticum, Peitho: examina antiqua, Philologia Classica, Renascens, Rheinisches Museum für Philologie, Rhetorica, Symbolae Philologorum Posnanensium, Tyche, Vox Latina.

MARCUS CRISTINI LECTORIBUS EPISTULAE LEONINAE S.P.D.
De conspectu poetarum Latinorum nostri saeculi componendo

Marcus Cristini lectoribus *Epistulae Leoninae* s.p.d.

Certiores vos facere velim, domini dominaeque maxime honorabiles, de incepto quod ante annum adgressus sum quodque mensibus proximis futuris ad finem ducere velim. Statui enim carmina Latina recentissima (ab anno 2000 usque ad diem hodiernum edita) colligere et conspectum poetarum Latinorum saeculi vicesimi primi componere, ut conspectum illum de poetis Latinis saeculi vicesimi a Iosepho IJsewijn olim conscriptum et dein a Theoderico Sacré auctum - quantum possum - ad diem hodiernum perducerem. Hoc modo lectores futuri Latinae poesis cupidi titulos carminum et ubi typis traditi sint statim cognoscent.

Iam laudavi poemata omnia, quae leguntur in commentariis periodicis Latinis hodiernis (et adhuc exstantibus et vita functis) maioris momenti, qui sunt *Epistula Leonina*, *Latinitas*, *Melissa*, *Renascens*, *Rumor Varius*, *Vates* et *Vox Latina*. Nonnullos quoque libros poetarum Latinorum recentiorum legi diligenterque recensui. Timeo autem ne carmina haud pauca in actis diurnis, commentariis periodicis vernaculis, ephemeridibus universitatum studiorum vel miscellaneis ad doctum quendam celebrandum (vulgo *Festschriften*) edita me effugerint. Qua de causa vos oro, candidi lectores, ut mihi scribatis (sermone Latino, Germanico, Anglico, Italico, Francogallico vel Hispanico), si quis vestrum versus Latinos quavis ratione panctos ab anno 2000 usque ad diem hodiernum publici iuris fecerit. Inscriptio mea electronica est marco.cristini92@gmail.com, cursualis vero Marco Cristini, via XXV Aprile 6, 25121 Brescia, Italia.

Ceterum vos auxilio arcessere velim, si mihi indulgetis, in opusculis nonnullis inveniendis.

- ***Pro Lingua Latina Zeitschrift***: fasciculos omnes ab a. 2000 usque ad a. 2023 legere velim, sed ii nusquam in Italia inveniuntur. Iam interrogavi commentariorum moderatores, qui mihi pro dolor subsidio venire recusaverunt.
- Laura D'Arpe: ***Iris (Ametrica carmina II)***, Copertino. Lupo Editore 2014.
- Commentarii periodici Dacoromani q.t. ***Timpul*** (Iași), qui carmina continent a Livio Franga Dacoromano scripta (fasciculos, qui mihi opus sunt, libenter indicabo).

Habetisne, quaeso, apud vos hos libellos? Cognoscitisne aliquem, qui haec habeat? Potestne fieri, ut mihi photographemata paginarum selectarum (.jpeg, etiam sophophono facta), imagines ope scansionis exscriptas (.pdf), exempla phototypica vel exemplaria ipsa (praesertim quod ad *Pro Lingua Latina Zeitschrift* attinet) mittatis? Si mavultis libellos mihi cursu publico mittere, ipse carmina exscribam et dein nulla interposita mora exemplaria vobis remittam. Sumptus cursuales vel/et impensas ad libellos ope lucis exscribendos libenter solvam et in conspectu gratias agam iis omnibus, qui mihi subsidio fuerint.

Curate, ut optime valeatis.

CORRIGENDA ET SUPPLENDA

- 1). **EL 286, p.62, lin.2-3:** maritoque iterum iterumque pollicita se ne ulli (non: ullo) quidem umquam homini rem prodituram esse...
- 2). **EL 286, p.62, lin.5:** occidisse (non: occidisse).

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... 49,00 €
- 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... 42,00 €
- 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... 45,00 €
- 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... 25,00 €

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIS AEI.

XX

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandatae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLITUDO	PRETIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA—Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE —Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI — Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00

13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIVM	Karl Friedrich Kilmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	0030 6A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90

	6A	25-8	– Libri audibiles						
27	0050 6A	978-3- 938905- 26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	0020 7A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	_____	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob/Wil- helm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**


HANC EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM OCTOGESIMAM SEPTIMAM



**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE
PERFECIT**

Die Martis, 27. m.Febr. a.MMXXIV



**Dr. Nicolaus Groß
LEO LATINUS
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**